TVRCORVM IMPERATORIS EPIstolæ aliquot ad varios Christianæ ac suę etiam ditionis Principes, populos, ac Ciuitates, lectu sane dignissimæ.

Eorundem item ad Turcam Responsio.

Item de origine Turcorum nonnulla.

VAENEVNT ANTVERPIAE
In ædibus Delphorum à Ioanne Steelsmano

Anno M.D.XXXIII.
Mense Maio.

TVRCORVM IMPERATORIS EPIstolæ aliquot ad varios Christianæ ac suę etiam ditionis Principes, populos, ac Ciuitates, lectu sane dignissimæ.

Eorundem item ad Turcam Responsio.

Item de origine Turcorum nonnulla.

VAENEVNT ANTVERPIAE
In ædibus Delphorum à Ioanne Steelsmano

Anno M.D.XXXIII.
Mense Maio.

EPISTOLARVM MA-
gni Turcæ Argumentum.

MAHVMETES TVRCOrum Imperator, cui postea ex magnitudine rerum gestarum Magnus Turcus cognomento fuit, cum Asia potiretur, auctis paterni regni viribus, in Europam copias ingentes per Hellespõtum classe traiecit: quibus mox Bizancium nobilissimum Constantini vrbẽ vi captam expugnauit. Missiam vero, vtraqꝫ Galathas, Thraciam, Achorã, Peloponessum, Acarnanes, Aetholos, Ambrachiam, Epyrum, atque omne Illyricũ latus in potestatem redegit. Asiæ vero minoris regna circiter duodecim obtinuit Ponthum, Bithiniam, Capadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Litiam, Cariã, Lidiam, Phrygiam, atque omnem Hellespontum, quibus imperat. Epistolas vero ad innũeras orbis gẽtes plurimas dictauit, partim Syro Grȩco sermone compositas, partim etiam Scythica lingua scriptas, quas quidem Laudinus Eques Hierosolymitanus, earũ post sententias assecutus latinas reddidit.

TVRCORVM IMPERATORIS EPIstolæ aliquot ad varios Christianæ ditionis Principes.

LAVDINVS EQVES HIEROsolymitanus Francino suo .S.



EPISTOLAS A ME nuper in lucem æditas, ad quem potius mitterem Francine, q̃ ad te, habui neminẽ. In quibus non tam mihi laus scribendi, q̃ voluptas quæsita est. Nã cũ mei gratia colligendi in Cicianũ Campaniç oppidum secessissem, has quidem per ocium minus accurate scriptas ædidi, vt & tibi solicitudinis & studiorum rationem non inuito redderemus. Commentarios vero quos olim ad Summum Pontificem scribere aggressus fueram, vt in aliud tempus remitterem, suscepti operis mágnitudo efficit. At scio me tamen in hac re multorum maledictis exponere. Adeo peruersa hoĩm ingenia sunt, vt nemo ex conscientia recti, sed frontis arbitrio quisque iudicet. Sic vbi iam pridem verum amisimus, hoc de me postetis iudicium relinquo. Nunc pueri nasum rhinocerotis habent.

Turcus Zancaſſano Regi Perſarum.

Audio te ad Leptam Euphrate ſuperato, copias ingentes traieciſſe, quibus mox Parthorum fines ingreſſus omnia belli incendio late vaſtaueris. ac tuorũ impetu facto, exercitũ in Armeniã traduxiſſe, vtq; poſt vrbiũ direptiones, vicos, oppida, & agros in militũ p̄dã diuiſeris. Te quidem miror non victoris animos, ſed prædonis oſtendere. Nos tamen ex omni Græcia delectu habito, aduerſum te cõfligere paramus, vt ęquis viribus cum hoſte contendas. Turpiſſimũ quippe ducimus maximos atq; opulẽtiſſimos Reges latronum bella imitari.

Zancaſſanus Turco.

Cum ſub radicibus Thauri caſtra poſuiſſem mox ad Theſiphontem oppugnandam cum exercitu magna celeritate contendi. fines præterea Armeniorum late depopulatus, vt metu nobis omnia paterent. Quo magis miror ipſe ob quæ iure belli tot ac tanta geſſimus abs te factũ meũ accuſari. Nõ enĩ ex hoſte laudẽ, ſed victoriã quærimus.

Turcus Zancaſſano.

Ad Ciliciæ anguſtias cum exercitu perueni, quo in loco Dariũ Alexander magnus memorabili clade ſuperauit: Nec aliam nobis fortunam belli pollicemur, qui Alexãdrum felicitate ac rerum geſtarum gloria æquamus. non enim multitudine imperita res magnæ geruntur, ſed in virtute paucorum victoria ſita eſt.

Zancaſſanus Turco.

Cum ad vires ipſe meas reſpicio, ac magnitudinem rerum geſtarum quibus deos immortales felicitate æquaui, temerarios q̃dẽ tuos apparatus minimi duco, q̃ eo ſemp̃ vſus ſim inuictiſſ.

exerci

exercitu, cuius virtute Regū fortunatissimus appellarer. Bactrianosq; oēs, Persas, Medos, Armenios, Parthos, ac vniuersum pene orientē armis subegerim, solusq; post Alexādrū bella gētibus indixi. Tu vero superiore loci fortuna ad Cyliciæ angustias gloriari desine. Indus elephas culicem non timet. Nec vero tam difficile quicquā est vel arduum, quod non pertinax militum opera expugnet. virtus profecto nihil inuiū habet.

Sexuares Rex Armeniæ Turco.

Oratores nostros ad Zancassanum in Thesiphontē misimus, qui apparatu incredibili Mesopotamias, Babilonem & carras magna vi oppugnare contendit. Syriā præterea oēm & Aegyptū in prædā sibi destinauit. nusq̄ adeo innūerabiles copias tamq; ingentes exercitus in vnū coactos esse memoria proditū est, vt Xerxem, Dariū, Porrū, & Alexandrū magnitudine viriū facile superarit. Accedūt his millia equitum sexcēta, ac totidē peditū, apparatus belli magnificus. Tētoria gemmis ac etiam vario lapillorū genere distincta, regiam supellectilem ostendunt. Pellices in contuberniјs totidem, quæ pueros vltra septingentos adesse memorant. Eunuchi præterea cum mercatoribus impedimēta secuti ad sex millia referunt. Arma etiam cuiusq; generis ad vsus castrorum affirmant, Gallicos thoraces, Numātina, Hispanorum scuta, Latinas ocreas, sagittas Cydonum, Cretenses arcus, paucos, & Aegyptiorum sarissas. Hæc tibi omnia per speculatores nostros quamdiligentissime cognita nunciamus. Quis enim aduersus eū temere quicquam audeat, qui cum dijs ipsis de imperio certare videatur? Aut quisnam rebus suis consulere

non curet sedulo ob incuriam feliciter perituris.

Turcus Sexuari.

Quæ nobis de apparatu Zancassani per legatos significasti, militum quidem nostrorum animos auxere. Quibus ad diripienda hostium castra spes longe melior ac belli fiducia accesserit. Pellices vero, gemmas, atque exercitus ornamẽta nihil ad victoriam cõferre existimo, quę cum hostibus impedimento sint, nostrorum potius animos ad prædam accendere videntur. Nec tamen de apparatu regio, nec delicijs cõtendimus, sed de victoria ac militum virtute, quibus regna parari solent, copias adeo innumerabiles facile contendimus. Imperita enim multitudo ad fugam promptior est q̃ ad victoriam.

Soldanus Turco.

Cum tot vsque victorias, rerum gestarnm magnitudinem ipse de te audiam, nulla quidem ratione satis adduci possum, hęc vel tua, vel mihi tũ geri virtute, sed fortũa profecto, q̃ in omni re dominatur. Neque tamen ipsę tuis laudibus inuideo. Quis enim virtutem etiam in hoste non probet? Sed ea quippe est rerum humanarum imbecillitas, vt nisi cuncta fati necessitate regantur fortunę potius omnia ludibrio exposita sint, quã vel prudentia hominum, aut consilio recte gubernari queant,

Turcus Soldano.

Longe quidem aberras, si eos qui consulto res agunt, fatis omnia gerere existimas. Virtus profecto nunquam fortuna regitur, sed ratio ipsa animi est, quæ in cunctis dominatur, & qua cęteris animantibus ad Deos propius accedamus. Tu vero eorum quæ tot ac tanta gessimus ratio

nem accipe. Si nobis etiã miles veteranus adest, si tyro quiuis ex omni numero delectus, si præterea exercitus ingẽs vincere assuetus, vinci vero nunq̃, & qui longas hyemes sub pellibus durissime agat, ac maximis sępe itinerib. periculis, laboribus & vigilijs terra mariq; expositus sit, nullaque bellandi intermissione fatigatus, et cuius acies nunquam loco cesserit, ac nemo pedem referre audeat. Et qui frigoris, æstus, ac inediæ patientissimus sit, nec fractus in aduersis, nec in secundis elatus: & qui mala postremo omnia virtute superauerit, & longinqua domi militia tot innumeras orbis gentes, & incredibiles sæpe exercitus fuderit: cuius & ipse gratia vniuersi pene orientis Imperator constitutus sum: Si hæc igitur omnia fortunã vocas, & casu euenire, fateor cuncta equidem fortunæ ludibrio agi.

Turcus Pontifici Rhomano.

Corinthũ Achaię nobilissimam, Aetholos, Acarnanes, Macedoniã, & oẽm Peloponessum armis inuasimus. Vicos prætera, agros, & oppida late incendio depopulati, vt mox in Italiã bellum transferamus. Hæc tibi omnia cum summo Christianorum metu ac detrimento nũciamus.

Fontifex Rho. Turco.

Quod Græciam omnem ferro igneq; vastaueris, non tam crudelitatem in hac re tuam, quã tot vrbium direptiones vlcisci paramus. Neque etenim victor hostibus ignoscere poteras, qui tuis etiam immanitatis scelere, ac libidine nunquã pepercisti. Nec enĩ piũ fasue quicquã apud homines esse potest, cui neglecta religione deus in contemptu sit: Nos tamen nullum a te bellum in Italia metuimus. Facilę enim sceleratahominum

arma contemnit, qui dei numine ac præsidio tutus est.

Turcus Pontifici Romano.

Frustra per deos immortales nobiscũ agis, qui nec tecũ de pietate, nec de religione, nec iustitia: sed de imperio contendimus. Vter armis victor extiterit iustior, eidem belli caussa debebitur. Crudelitatem vero, ac etiam scelera q̃ duo nobis grauissima obiecisti, ideo in captiuos exercemus, vt eũ esse me re quidẽ experiantur, quem verbis homines prædicant.

Pontifex Romanus Turco.

Etsi tecũ nobis iustissima caussa belli est, non pari tamẽ scelere, vel etiã ipsa libidine regnandi, sed pro tuenda hoĩm libertate arma sumpsimus. Quis enim mores tyrãni ꝑditissimos æquo aĩo ferat? Nam q̃d plerunque in cæteris vsu euenit, vt vel metu, vel odio, nonnunq̃ etiã ira in subditos acerbiores reddant, ipse oĩbus sponte immanior es, qui crudelitate potius q̃ victoria gloriaris, ac ea tanq̃ parũ sit audisse, captiuis etiã semꝑ calamitates exprobrasti. Meritas igitẽ pœnas exolues. Vltor enim scelerum Deus, vindictæ tarditatem supplicij grauitate compensat.

Turcus Venetis.

Ad Patras ingenti cum exercitu veni, vidi, & vici. hęc vobis cum maximo Reipub. detrimento nunciamus.

Veneti Turco.

Nec belli vsu, nec virtute militum, sed nos fortuna ad Patras superasti, quæ cum minime sit in potestate hominum sita, eãdem ipse rerum vicissitudinem, qua nunc leuissime omnium stolidissimus gloriaris, expecta. Parum enim

lau-

laudis victoria habet, in qua plus fortunæ ludibrio actum est, quam hominum virtute seu consilio prouisum.

Turcus Græciæ magistratibus.

Non pigebit vos tandem ab armis discedere, quos toties a me victos acie, bellum adhuc reparare audio? Victores enim arma decet inferre. Victos quidem obtemperare legimus. Tutius igitur esse vobis ducimus æquas pacis conditiones accipere, quam si rursum a me bello superati, pacem simul & arma amiseritis. Nam sera nimis est post cladem deliberatio.

Græciæ magistratus Turco.

Nec prius ab armis discedemus, quam tecum bello cōgressi propulsemus iniurias, quibus nos abs te victos fuisse toties tua ex dementia gloriaris. Dubios enim rerum euentus, & cōmunem belli fortunam non ignoras. Pacem vero quam vt victis obtulisti recusamus. Minime quidem rei gerendæ consilia apud hostes quęrenda sunt.

Turcus Venetis.

Classe vestra, quam ad belli naualis vsum maximam comparastis, Litiæ maritima infestari audio, ac vos late regni mei fines depopulatos, Athaliam Pamphiliæ vrbem armis circunsedisse. Videte obsecro quos tandem exitus hæc habitura sint. Aliena temere oppugnat, qui ægre sua bello tuetur. Vos namq; post amissam Chalcidem seruare potius Rēpublicā ac nominis dignitatē retinere oportet, q̄ armis imperiū quærere.

Veneti Turco.

Nec Pelopōnessus, nec Chalcis equidē ipsæ iā pridē bello amissę, nos ab oppugnatiōe pterrēt, q̄s nō ipsa virtutę militū, nec virib9 expugnatas

sed facta nostrorum de ditione in potestatem redegisti. Nos tamen qui non armis prȩsidia: sed victoriam querimus, omnia eius infesta mari ac terra classe reddid mus. Nec enim ad generosi principis animos virtue accedit: quia non iura belli captas vrbes: sed insidijs proditas in deditionem accepit.

Turcus Genuensibus.

Audio Menedorum vestros apud ciues graui mei nominis contumelia sæpe concionari: tanq̃ nos iniuria aliqua maledicendo afficiat. Erratis vehemẽter. non enim maledictis vobiscum: sed armis contendimus. atq; is de se facile rumores in hoste contemnit. qui regnandi libidine nullũ iam pridem apud homines infamiã declinauit.

Genuenses Turco.

Nec patrũ auctoritate Menedorus: nec vrbis decreto ciues te nostri probris omnibus insectãtur: sed priuato quodam & inexpiabili odio, quo tibi omnes ad iniuriam prouocasti. Has vero nõ maledictis iniurias: sed armis propulsamus. Parum tamen nostra sentẽtia rei conducit, qui de te ferantur in concionibus rumores. Nullã quidem honesti rationẽ exigit vitæ male actæ turpitudo.

Turcus Naritijs.

Dementiam vestram, non belli metum accusamus Naritij: qui a me vobis arma vltro inferri persuasi estis: tanquam nunc sibi in mures prædam leo meditatur. Nõ pudet vos igitur culices in Elephantem confligere?

Naritij Turco.

Vtinam vilis prædæ Naritios contemneres, ipsi enim ad vires parum tuas respiceremus, sed nobis ignosce tot mala in hoste perpessis. Nos quidem

quidem præterita futurorum rationem habere compellunt.

Turcus Corcyrensibus.

Fassi mihi estis iniuriā Corcyrenses, qui Ambrachiæ fines & late Acarnanum agros depopulati, omnia in prædam diripuistis, cum tamen ipse vobis toties antea ignouissem. Sed qui prius iniurias intulere, grauiores ipsi expectent necesse est.

Corcyrenses Turco.

Erras vehementer, si nos tibi fassos iniuriam tantum existimas, nec morum clades, & belli detrimenta intulisse. nos ideo aduersum te prius arma sumpsimus, vt grauiora in hostē moliamur, neq; enim tyranni crudelitatem ferre æquo animo possumus, qui nullo immanitatis scelerū ac libidinis genere omisso, vim omnibus attulerit.

Turcus Regi Cypriorum

Ad Calendas sextiles cum exercitu in Ciliciā perueni, vt Tharsiam vrbem opulentissimam expugnarem. Lupum vero classis tuæ legatum, nō longe Phreatis captum occidimus. Tu igitur, q paternum regnum adeptus es, nunc fortunæ leuitatem metue. nihil in humanis rebus diuturnū atq; idem felix esse potest.

Rex Cyprorum Turco.

Cum bello Cyprum repeterem, nullis paterni regni viribus hostem ad Ceraunia vici, qui tunc meorum ope destitutus, apud Carras exulabam, mox tamē insulam parua manu ingressus incredibiles hostium copias superaui, vt me quidem omnes Euagoram anteisse prædicarūt. nos

Igitur omnia consulto gerimus, ac militum virtute. nec tam bene gestis gloriamur, quam futura prouideamus. Tibi vero præsertim fortuna longe metuenda est, qui tot rerum successibus ac nimia vsus felicitate videaris, nam omnia fatis committere, non tam homini incertum est, quā sæpe temerarium.

Turcus Methonensibus.

Nec vrbem vestram Methonenses oppugnare, nec tamen ab exercitu nostro tutam esse volumus, donec belli diuturnitate Ciues in odium arma verterint. Sic enim valetudine semper aduersa laborantibus, mors nempe langoris tædio exoptatior est, quam vitæ longitudo.

Methonenses Turco.

Parui siquidem semper arma fecimus, quæ ignauis terrorem, fortibus vim nullam afferant. Tu tamen esse de nobis sollicitus desine, qui sine hostium consilijs aduersa perferre didicimus. Scito præterea nunquam arma in odium verti, quibus aduersus tyrannum patriam, libertatem, parentes, ac liberos egregij ciues tueantur.

Turcus Coronensibus.

Non pudet vos Coronenses ter ad Mantineam acie superatos vires & exercitus reparare? An ne ideo bellum semper geritur, vt vinci toties sero pœniteat. Si vero pacis obtinendæ gratia in nos arma sumpsistis, timori vestro ignoscimus. Si rebus afflictis vincendi spe, insaniam accusemus.

Coronenses Turco.

Qui bellum toties in hostes moliuntur, hi se quidem pacis studiosissimos longe omnium declarant, pax vero nulla ciuibus aut securitas reddi potest, nisi pugna cum hostibus commissa.

Nam

Nam belli semper & pacis arbitria in victoria posita sunt.

Turcus Florentinis.

Mercatores vestri qui Galathis & in Ponto negociantur ad nos Thessalonicæ oratum misere, vt illis vectigalia a publicanis & commeatus omnes liberi essent. nos igitur quibus nihil pulchrius est, quam in amicos liberalitatem ostēdere, vestros ciues libertate donauimus, nam qui benemeritis de se beneficium contulit, is non tā aliquid exhibere, q̄ referre gratiam videtur.

Florentini Turco.

Beneficiorum magnitudine a te profecto superamur, gratitudine vero animi nequaq̄. Nam dignum te aliquid in ciues nostros contulisse, id quidem multifecimus semper. At nos vero maiora tibi viribus referre pluris hoc esse ducimus Non enim magnitudine rei beneficium, sed voluntas animi officio pensanda est.

Turcus Ponticis.

Naues onerarias, quibus veluti propugnaculis maria infestabantur, captas in Aegeis ad vos remisimus. neq; tamen (per deos immortales) vt aliquid ad gratiam contulisse videamur, nobis multo quippe gloriosius est liberaliter in omnes plura conferre, quam accipere.

Pontici Turco.

Liberalitate in omnes vti, quid hercule aliud est, q̄ hominum gratiam promereri? tu vero nauibus ad nos remissis ex hostibus iam pridē, nūc belli socios reddidisti. adeo pulchrum est iniurias in gratiam commutare.

Turcus Cretensibus.

Turpe quidē nobis est Cretenses amicitiā colere, in qua bellū potius aduersum nos quā pacē ostendi

ostenditis. Sed videte quæso, ne vobis temerariū sit eos mox vt hostes formidare, quos prius socios nullo iure contempsistis. multos enim sæpe conatus sui pœnituit.

Cretenses Turco.

Et vim vi repellere, ac dolum dolo nectere, nobis semper maiorum institutio licuit, neq; tamen amicitiam violamus, si inimicorum iniurias vlciscimur. Sed quonam pacto tuam nobis fidē exigis, quam ipse nemini vnquā antea præstitisti?

Turcus Chijs.

Tributa vobis Chij remisimus, nam cum vestrorum erga nos meritorum magnitudinem respicimus, vos quidem esse iussimus immunes. non enim ab amicis pecuniæ, sed fides exigenda est.

Chij Turco.

Non quod pro tua erga nos liberalitate optauimus (id enim votis minime assequeremur) sed quod valuimus gratias tibi immortales habemus in posterum. Hoc nobis tamen solatio est quod facultate ab amicis, non liberalitate vincimur.

Turcus Epidauris.

Abideos Phryges & Dardanos maris antea prædones nunc classe ad Milas interceptos, ac varijs cruciatibus enecatos audio. Id quidem a vobis iure belli factum existimauimus, Liburnicas tamen ac Biremes incendio absumpsisse turpissimum ducimus. non enim bellum vobis cū nauibus, sed cum rectoribus suis gerendum est.

Epidauri Turco.

Et Pyratas iure belli captos liburnicas, incendio absumpsimus. Illos vero quod nos sæpe incursio-

cursionibus infestarunt, his quidem quod latrones finibus nostris inuexerāt. Par ergo duximus naues cum rectoribus suis incendere, quæ prædam nostrorum ac spolia in Asiam auexissent, arma enim quibus oppugnantur pro hostibus habenda sunt.

Turcus Nauplienſibus.

Non cessabitis ab iniuria Nauplienses, qui fines Acheorum ingressi multos quidem mortales crebris excursionibus in prædam adduxistis. Quo pacto enim fieri potest, vt qui metu clausi præmantur, obsidione victoris agros & oppida late incendio vastauerint? Sero tamen patriæ cōsulere videntur, qui desperatis rebus conantur extrema.

Nauplienses Turco.

Et patriæ in primis ac ciuiū saluti, quibus omnia debentur, vitam obiecimus. aut enim pro defensione Reipublicæ salua nobis libertate honestissime cadendum est, aut depulso tyranni iugo, pristinam retinebimus libertatem. Nihil vero pulchrius esse ducimus, quam parentibus, liberis ac rebus postremo omnibus, patriæ libertatem anteponere.

Turcus Pannonibus.

Virtutem vestram Pannonij et si bello maximā sępe declarastis, plus tamen vobis incommodi attulisse, quam boni quicquā vsum didicistis. His vero qui maiores viribus animos gerūt, semper affuit in bello temeritas.

Pannonij Turco.

Nec belli a te consilia, nec armorum, quibus oppugnamur, rationem ab hoste exigimus. Satis prudentiæ quidem gerēdis rebus habere existimantur, qui virtute animi & constantia victoriam sibi cum laude pepererunt.

Legati

Turcus Macedonibus.

Legati ad me vestra mandata pertulere, qui bus ad odium potius quam ad gratiam prouoca stis. Vos enim toties victos & supplices decere magis videbatur pacis conditiones recipere, q̃ auferre impudentius. turpe quidẽ est calamitatibus affectos superbe cum victoribus agere.

Macedones Turco.

Nulla tecum nobis ex equo pax esse potest q tueri patriæ libertatẽ studeamus, tu vero armis imperiũ quærere, nec tamẽ nisi constanter & ingenue de Republica loqui possumus q pulchri⁹ libertate nihil apud homines esse ducimus. Hoc tamen cõmune tyrannis vitium est, vt graui semper odio ciuitates liberas insequantur.

Turcus Asiaticis.

Oratores vestri apud Ziziců legationẽ exposuere, quib⁹ te nobis hostes, verbis quidẽ socios ad arma ostẽditis. aut igitur naues longas q̃primũ nobis subsidio mittite, aut bellũ eligatis, neq; enim verbis semper amicorum voluntas, sed cum facto opus sit, tamen maxime rebus declaranda est.

Asiatici Turco.

Quod multa corã per legatos pollicemur, tibi aũt ꝑpauca exhibem⁹, alterũ grati quippe ani mi est, alterũ inopiæ asscribẽdũ. Munera vero ad te per Mearchũ misimus, quæ si tuis animis fortasse minora videbuntur, nostris tamen viribus maiora fuisse existimabis.

Turcus Bithinijs.

Nec ad belli vsum naues, nec pecunias in tẽpore misistis, tarditatem igitur vestram accusamus, Videte obsecro ne vobis infensi reddãtur,

quos

quos per negligentiam contemnere videmini. Præstat voluntaria semper in hostes arma sumere quam post multos ad bellum cogi.

Bithinij Turco.

Naues ex omni numero.xx.nuper incendio consumptas amisimus. Reliquæ vero ad Maleã partim illisæ scopulis, partim absorptæ profundo in hostium conflictu periere. Pecunias vero omnes belli diuturnitate exhausimus. Ignosce igitur tot fortunæ calamitatibus affectis. nulla enim liberalitate vti possunt, qui extrema rerum inopia laborant.

Turcus Delphicis

Nec Appollinis vestri oracula, nec medicinæ auctor Aesculapius vos omnino ab insania liberarẽt, qui rem adeo inconsulte gessistis, vt ne Minerua quidem ipsa consilium vobis in tanta dementia afferre queat. Nam corporis sæpe langores ope adhibita curãtur, morbo quidem animi, vis nulla mederi potest.

Delphici Turco.

Sapientia quidem a rebus gerendis plurimũ distare videtur. Nobis tamen, quod & medicis plerunq; euenit, qui aliorum morbos ad sanitatẽ perducunt, sibi vero nequaq̃ medentur.

Turcus Pergamenis.

Expeditionem aduersum Euboicos Pergamenisuscepimus. Vos ideo nobis ad Marathonas occurrere iussimus, vt qui vestram semper erga me fidem oportune declarastis, nunc etiam cum opus sit celeritatem ostendite. Duplex illis gratia debetur, qui in dando non solum beneficio liberales, sed etiam promptissimi in exhibendo videantur.

Pergameni Turco.

Classe ingenti ad bellum proficiscimur,vt vires non solum tuas augeamus,sed Chaladenses fortius oppugnentur.Illis tamen gratiæ nequaquam habendæ sunt,qui cum possint, quod iure debent,liberaliter exhibeant.

Turcus Mithileneis.

Fides vestra Mithilenei, & si omni tempore nobis perfecta est,nunc eam tamen maxime omnium declarastis,quos quidem vrbis portas hostibus occlusisse audio. Non enim aliorum perfidiam libenter imitamini, qui nouis semper rebus studentes,adeo pulchrum vobis est amicitiæ iura simul tueri,atq; armis patriã defendere.

Mithilenei Turco.

Bithinij quibus extincta omnino Republica sub tyrannide perpetuo agendum est, satius in potestate tuti esse duxerunt, quam multorum regna experiri,fidem igitur nostram in hac re non tam probare debet,quam admirari prudentiam. Non enim eos libenter imitamur,q morbo ineuitabili laborãtes,multos sibi medicos adhibẽt. nullam tamen ad crebra remedia corporis valetudinem recipiunt.

Turcus Amazonis.

Si pro tuenda ciuium libertate Amazoni bellum aduersum me susceperint,non tam vos ipse hostes iudicarem quam egregios ciues pro patria liberis ac parẽtibus arma sumpsisse. Sed nulla quidem ratione persuaderi valemus,eos nunc virorum imperia recusare,quos olim regna fœminarum tam diu pertulisse audio.

Amazoni Turco.

Amazonum regna,quæ nobis ad contumeliã

obijcere videris, nos minime quidem alijs parere hortãtur. Turpissimum enim ducimus, viros fœminarum virtute superari. Eos igitur inuictos armis & principatu dignissimos arbitrare, apud quos etiam mulieres imperare didicerint.

Turcus Illyricis.

Nec vrbem vestram armis tueri, nec diutius obsidionem premi sustinetis, aut igitur victis leges accipiendæ sunt, aut arma tyranni propulsanda. Dementium sane est omnibus sociorum auxilijs atq; ope destitutis, cum reipublicæ detrimento bellum protrahere.

Illyrici Turco.

Cum nobis semper animos ad retinendam libertatẽ affuisse non ignores, spes adhuc nostras libenter amplectimur. Neq; vero in deterius labi fortuna potest, vbi afflictis rebus opem afferre nequeas.

Turcus Rhodijs.

Si vobis eadem Rhodij quæ animi est virium quoq; magnitudo par esset, vos longe quidẽ omnium inuictissimos ducerẽ. Sed cum viris, equis; armis, pecunijs, & commeatu bella parentur, vestram magis fortunam respicere oportet, quam nos temere pugnam lacessere. Minime enim par ratio videtur, hostem posse animis atq; eundem viribus superare.

Rhodij Turco.

Et vires nobis atq; animos semp̱ affuisse multis ac maximis tuorum cladibus non ignoras, omniaq; ad necessarios rerum vsus abunde comparauimus, vt non minus domi Rhodiorum prudẽtiã, q̃ foris in bello magnitudinẽ animi admirere. Nos vero & si armis inferiores sumus, a te

profecto fortuna, non virtute superamur.

Turcus Rhodijs.

Audio vos Rhodij nunc fossas vrbis ingẽtes ac triplici vallo muros circumduxisse, portus vero geminos ad Mandrachium Collossi ferreis arctasse cathenis, vt ciuitas ab incursu hostium liberata, & nos ab oppugnatione vestra deterreamur. Res profecto memoratu dignissima. Quid enim pulchrius, quam libertatem, patriam, liberos, ac parentes, seruata republica, armis defendere? Sed qui tamen vobis animus est (per deos immortales) tam ingenti apparatu nostris viribus terra ac mari obsistere? Post enim Byzãtiũ, Lesbon, Peloponnesum, & Chalcidem expugnatas, vos aliarum potius vrbium fatum decet imitari, quam in exemplum cladis præbere. nam qui viribus maiora audent, temeritatis quidem pœnas sæpe dederunt.

Rhodij Turco.

Græcorum nobis captiuitatem non tam commemorare debes quam nos alijs in exemplũ virtutis referre, qui iustiore belli causa meliorẽ quoq; rerum fiduciam gerimus, te vero semel ad Choum his etiam armis ad Calymum vrbem vicimus. Soldani quoq; Babyloniorum regis vires & arma obsessi profligauimus. Aegyptijs vero Syris & Phœnicibus Nauarchæ Rhodij bellũ sæpe intulerunt. nolite igitur aduersum innumeras orbis gẽtes victoribus fiduciã nobis exprobrare, qui aliorũ potius aduersum te animos virtute nostra augeamus, quam ex captiuorũ cõmemoratione terreamur.

Turcus Epyris.

Dirachiũ, Apoloniã, atq; omne Illiricũ latus ab exer

ab exercitu nostro infestari, nuper ex legatis Molossorū cognouimus atq; viarū angustias latronibus obsideri nihilue intra Macedoniā tutum esse retulerūt. nos vero Epiri iam pridē fatis omnia credidimus, ac ius in armis experimur, quāobrē pristinæ virtutis memores decere vos magis arbitror acceptas vlcisci iniurias, quā de his frustra per legatos verba facere, non enim oratione, sed bello vis hostium propulsanda est.

Epiri Turco.

Si nobis id quidē armis licuisset, acceptas ab hoste iniurias vlcisci mallemus, quā de his tecū per legatos agere. Sed cum nullis viribus id asse qui valeamus, satius quidē esse duximus pacē ab hostibus petere, quā bellū frustra moliri. Nā recte omnia consilijs prouidisse, non tam prudētiæ debet, quam fortitudinis videri.

Turcus Dalmatis.

Tributa vobis imperauimus, quæ cum sero nimis exhibeantur, id facere inuitos ostenditis, aut igitur fidem vestram, cum opus sit, re nobis comprobate: aut bello vos hostes declarabimus Minime quidem decere videtur in amicitia dissimulatio.

Dalmatæ Turco.

Tarditatem minime nostrā accusare, sed inopiam debes. Nullo enim pacto exhibere tributa possunt, qui nullam cogendi pecunias facultatē habent. Quamobrem minime hostes iudicandi sunt, qui fide tantum in amicos, liberalitate vero nulla ob inopiam vtantur.

Turcus Appulis.

Brutiorum vrbes atq; omnem Appuliam iure belli repetimus, q vt Græcos armis subactos

nostro adiecimus imperio, nunc eam quoq; Italiæ oram armis inuadere paramus, quæ magna quondam Græcia vocitata est. Vos igitur aborigenes vestros pulcherrime imitati, deditionē facite. Turpe quidem videtur egregijs ciuibus, ab instituto maiorum ac patriæ legibus desciscere.

Appuli Turco.

Qui omnia ex libidine agunt, vis sibi quid est in armis esse declarant. Tu vero & si nos Græcorum calamitatem sequi iubes, non tam nobis eorum leges quam regnum persuadere niteris. Sed nullo pacto fieri potest, vt tibi cæteris ad gratiā promptiores reddamur, qui captiuos, omnibus a te supplicijs affectos, inter varios cruciatus crudelissime enecasti. Facile enim clementia, liberalitate, & iustitia, regna parari solent, difficillime vero sub tyrannide armis retineri.

Turcus Brundusinis.

Portus nobilissimi ad nauium receptacula atq; vrbis vestræ situm, ex legatis Messapiorum cognouimus. Vos idcirco cum Hydruntinis belli socios nobis ad arma pollicemur. Copias nāq; in Italiam traijcere paramus, quibus ingenti comparato exercitu victoriam consequamur. Minime igitur eum vos decet aspernari, quem ob iustitiam sui diligere possint, atq; hostes ob arma formidare.

Brundusini Turco.

Non pudet eos te belli nefarij socios in arma euocare, quos semper hostes omnium acerrimos habuisti. Detestanda quidem arma tyranni sunt, cui post victoriam inter crudelitatem scelera & libidines, captiuis mox seruiendum est.

Turcus Syracusanis.

Audio

Audio vos Syracusani cū Agrigentinis, Messanis, & Cataneis aduersum nos, pro restituenda Græcorum libertate, conspirasse. Nos idcirco ex Peloponneso copias ingentes Syracusas traijcere paramus, vt eos nunc hostes experiamini, quos prius socios nullo iure contempsistis.

Syracusani Turco.

Cum gerendi belli fiducia aduersum te arma sumpserimus, nil temere profecto aggredi in hostem videmur, nam qui iustius de imperio certāt promptiores ad victoriam redduntur.

Turcus Italiæ Magistratibus.

Germaniam, Gallias, et Hispaniam aduersum nos cōcitasse audio, vosq; illis ad bellum Duces exhibuisse. Parum sibi quidem consulere videntur, qui temere hostem in pugnam nulla caussa lacessunt.

Italiæ Magistratus Turco.

Iustissima nobis, tecum belli caussa est, qui sæuissimi Tyranni crudelitatem ac scelera detestantes, arma aduersum te velut publicū naturæ hostem sumpsimus, nec solum cum Germanis, Gallis, Hispanis, & vniuerso occidente conspiram9, sed liberas ciuitates etiam per legatos aduersus Turcorum gentem vndiq; sollicitamus, idcirco persuasi a nobis Christianorū opulentissimi Reges coactis ad bellum viribus, populos in arma concitarunt, Vt tot crudelitates tuas, furorem, cædes, libidinem, incendia, & vrbium direptiones vlciscantur, ac defensa hominum libertate, tuis ab iniurijs orbem vindicemus. Iustissima quidem arma sunt, quibus publica omnium salus contineatur.

Turcus Regi Ferdinando.

Egregias laudes tuas & inuicti animi magnitudinem, ac rerum gestarum gloriam libentissime accipio, qui cum toties bello hostes profligaueris, ea ratione vicisti, vt victis posses ignoscere, nec vt iustissimam vltionis iram hostis publicus, verum animi clementiam quiuis in te experiretur. & quod summum in principe dicimus, fortuna quippe aduersa te semper inuictum praestitisti, nec in secundis rebus elatum. Hęc ideo de te libenter commemorauimus, quoniã sæpe etiã virtus in hoste laudatur.

Rex Ferdinandus Turco.

Et si pulcherrimum esse ducimus aliquo insigni merito ab hostibus laudari, quod eorum verius probamur testimonio, & amicorum sæpe iudicio fallimur. Nos tamẽ verbis non tam gloriæ voluptatem quærimus, qui vt propriã ex rebus gestis laudem assequamur. Hæc vero libentissime complector, cum tibi me videri, quem simul hostes ob virtutẽ admirari, & ciues ob iustitiam colere possint.

Turcus Siculis.

Carthaginensium duces, quibus olim cũ Romanis de imperio orbis diu certatum est, multis vos sæpe cladibus afflixere, quod partium studia secutos, ægre in fidem retinerent. Nũc vero subsidia Rhodijs ad Halicarnassum misisse audio, & commeatus omnes ad belli vsum manibus onerarijs comportasse. Vos igitur hostes publicos bello declarabimus, vt qui non frustra læserint, temeritatis pœnas luere cogantur. Non enim solum nobis tutum est ab aliorum iniurijs vindicare, sed hostibus etiam formidolosum.

Nec

Siculi Turco.

Nec contra te arma sumpsimus, quos nunc Rhodijs subsidia in Halicarnasso misisse arguis, nec quempiam affecisse iniuria videmur, si crudelissimo tyranno sociorum auxilia fidemque anteponimus. Noli igitur maiorum perfidiam Siculis obijcere. qua quidem omnibus ipse fidem datam ac iusiurandum semper violaueris, nec eos minis perterrere debes, quibus promptius est ad arma iniurias, q̃ ad verba proferre.

Turcus Alexādrinis.

Mercatoribus vestris Alexandrini, Pontum omnem, & Asiam interdiximus. Nam cū Bithiniorū vrbes ære alieno opprimerentur, legatos ad me Callipolis questum misere. Insuper negociatorum vsuras detestantes, quibus ciuitatū pecuniæ exhauriantur. Sanctius nobis igitur visum est, ad multorum potius, quad ad paucorum vtilitatem respicere.

Alexandrini Turco.

Etsi minime ad nos pertinere videatur, tecū de priuatis rebus cognoscere, si tamen eadem gesta fuerunt aut tentata quæ scribis, nec gratiam a nobis, nec odium in hac re promereris. Cuiq; enim pro arbitrio res sua agitur.

Turcus Tartaris.

Quod multis sæpe vsu euenit, vt vel metu, aut necessitate in alios plerunq; deteriores fiant, vobis quippe natura loci tribuit omnium fore pessimos, q velut incognita vulgi barbaries nullis legibus tenemini. Cum tamen ad nos pecunias, nec in tempore legatos miseritis, illas quidē exhibere nobis per vim debere ostenditis.

Tartari Turco.

Stultum est profecto te a nobis exigere, qui aliorum spolijs ac rapto viuimus, atq; ab his legationem frustra expectas, qui non orandi studium, sed belli gerendi curam foris suscipiunt. Mores præterea nostros tā admirari nequaq̃ debes, cum parum absint a ritu ferarum. Nam qui maiorum instituto ius ipsum in armis habent, cædibus, prȩda, ac rapinis pro legibus vtuntur.

Turcus Atheniensibus.

Gymnasia vestra Athenienses quibus florentissimā Rēpu. eximiasq; philosophiæ laudes assecuti estis, nos maxime hortari videntur, vt vrbi vestræ ignosceremus, cum propter maiorum sapientiam ac dignitatem, tum etiam ob studia bonarum artium, quas simul inuentas Athenis ac perfectas accepimus. Sed cū vestrū semp in me odium ipse considero, beneficijs quidē vos potius irritare, q̃ ad gratiā promptiores mihi reddere videor. Idcirco agros Eleusinæ incendio late depopulati, a Pyræo ad Megaras in prædam militum diuisimus, mox vrbem etiam pari fato direpturi. Hostis enim clementiam sæpe vincit delicti magnitudine.

Athenienses Turco.

Non odio quidē aduersum te nitimur. Quid enim salui nobis libertate esse potest. Sed pro patria, liberis, ac parentibus, quibus omnia debent arma sumpsimus. Nec tecum hostiliter agere videmur si nostra defendimus, cū tu aliena oppugnes. Sed quid te maxime deceat respicere oportet, nunquid ipsi deliquerimus. Ignouit Sylla Athenis, Bis etiā Alexander venia dignatus est. Quȩ vero tua dici victoria potest, si nos belli prȩ

miu

mium perdiderimus? Debes igitur nos potius in exemplum pietatis seruare, quo tibi facile omnium animos ad gratiam conciliabis, q̃ crudelitatem, libidinem & furorem in captiuos ostendere, quibus Græcos aduersum te odio cōcitabis. Nos tamē quibus nulla vlterius belli fiducia est, nisi venia dignaberis, extrema fortiter audebimus. Quid enim pulchrius est aut in hūanis vnq̃ iucundius esse potest, q̃ egregios ciues atq; domesticos pro salute omniū sese intrepidos morti exponere?

Turcus Thebanis.

Direptionē Athenarum vos ægre Thebani pertulisse audio, quo & belli socios, & cōsiliorū in me participes extitisse iā pridē ꝑsuasimus. Vobis igitur quibus ingens hostiū metus incessit, ijdem rerum exitus fato debentur, paresq; Atheniensibus calamitates. Hæc ideo significauimus, vt metu prius & scelerū conscientia mox vero grauioribus supplicijs torqueamini.

Thebani Turco.

Deletis Atheniēsibus nō solū Thebanis aīos verū & Græcis oībus, quorū sæpe libertatis auctores extitimus, vires ad bellum auxisti, qui armorū rabie versi in furorē, te quidē in tot scelerū pęnas vltro reposcant. Solet enim plerunq; afflictis rebus vltima fati necessitas serā quoq; miseris salutem polliceri, nec facile tyranno parere consuescunt, qui alijs imperare didicerint.

Turcus Lacedæmonijs.

Exercitum Lacedæmonij, quem ad Spartā oppugnandā sub Alexandro misimus formidare vos audio. in quo peditum. MXX. delecta cōparauimus, equitum vero leuis armaturę octo,

quo

quorum etiam virtus in bello eximia, ac fides nõ tam spectata est, q̃ hostibus formidolosa. Vos igitur tot fortunæ calamitatibus affectos ad rem publicam & ciuium salutem respicere oportet, ne si pristina maiorum virtute bellum vobis supra vires aduersum nos gerendum sit, mox temeritatis pœnas luere cogamini. Pulchrũ enim est gratiam in his ab hoste promereri, quæ si facere recusamus, ad ea mox tamen inuiti compellimur.

Lacedæmonij Turco.

Cleandro apud Laconas cum vniuerso exercitu nostro deditionem nosmet sponte fecimus. Tutius enim Lacedæmonij esse duxerunt hostium consilia admittere, quum salubria viderentur, q̃ arma experiri. Nec visa nobis potior victoria est, q̃ nullo Reipub. detrimento patriã ab incẽdio belli seruasse.

DE ORIGI-
NE TVRCARVM.



DE ORIGINE TVRcarum non alia adferam, q̃ quę Ioannes Batpista Egnatius Venetus de illis prodere non dubitauit. Turcarum, inquit, tenuissima memorãtur primordia, & vt cæterarum gentium, plane obscura. Caspij maris accolæ fuerunt, qui septingentesimum ab hinc annum natali solo relicto, in Persidem atq; Asiam minorem primum impetum fecere. Sed nec vnus dux illis, nec certum imperium. Vagi, dispalatique quoue cuique sors affuit, latrocinantes magis q̃ belligerantes, prouincias vastarũt. Prima stipendia Basilio Macedone imperante, sub Machumetio Sarracenorũ Principe meruere, quorũ pręcipue opera Babylonios, Indosq; ille vicerit. Variatũ sæpe inter eos factionibus exortis ad Gallorũ vsq; memorabilẽ illã expeditionẽ, qua fracti ab his sæpius magna etiam imperij parte multati sunt, donec Othomannus veterem gentis gloriam asserere ausus est. Is obscuro loco & parentibus agrarijs natus, virtute ac calliditate singulari, cõflata per seditionem manu, circunferre Turcica cępit arma, in suæ gentis homines non minus infestus q̃ in nostros. Othomannus igitur his auspicijs intra octo & viginti annos, quib. rerũ potitus est incredibile dictu quãtũ rem suã auxerit. Magnã certe Bythiniæ partẽ breui subegit, oppidaq; ad Euxinum posita non pauca cepit. Qui moriens

Or-

Orchani filio regnū per manus tradidit. Hic Prusiā Græcis ademit, primusqꝫ in Europā traiecit. Tandē post. xxij. imperij annū, Ammuratē filiū heredē reliquit. Is auitā, paternāqꝫ felicitatē ęmulatus, in Bulgaros mouit. Hellespōtū & Abydū superat, Callinopolimqꝫ cū alijs oppidis occupat. Seruiā, Bulgariāqꝫ ingressus, cū Adrianopolim prius occupasset, occurrētes sibi cū paratissimis copijs hostes ingēti cęde profligat: Lazaro Seruię principe in acie cæso, sed mox a seruo dñi in vindictā Ammurates occidit, cū annos. xxiij. imperiū tenuisset, Bazaite & Solimāno filijs superstitibus. Bazaites interfecto per insidias fratre, magnā Bulgariæ partē sibi subiecit. Bossinā, Croatiā, vlterioresqꝫ Illyrici partes vastat. Tandē Maomethes rē Turcarū occupat, qui Bulgaros & Vlachos pręlijs & cladibus afflixit. Adrianopoliqꝫ recepta, regiā ibi sedē statuit, ipso post annos. xvij. mortuo, Ammurates filius regnum init. Prima illi expeditio in Mysorū principē, quī nunc Serui dicunt, fuit, de quibus Scopiā & Nouemōtū cepit. In Vlachos, Vngaros, & Germanos incursiones graues fecit. Tandē Maomethę filio cura rerū demādata, cum annos. xxxiiij. regnasset, męrore animi obijt. Longū esset, si Maomethis eius filij res gestas explicē, quę quantæ fuerint, nouū Othomannicę familiæ magni cognomentū ab eo quęsitū, & in hæredes iā transmissum arguat. Is enim duo Christianorū imperia, Cōstantinopolitanū, & Trapezūtiū subuertit, regna duodecim nobis ademit, & cętera. Hic cū annis pręfuisset. xxxi. obijt, Anno salutis nostræ. M. CCCC. LXXXI. quinto Non. maij. Quo mortuo, Bazaites regnū obtinuit, qui Vlachię castella quędā expugnauit, in Sultanū Aegy

tiũ copias eduxit, a quo sæpe victi Turcæ, tandẽ pacẽ fœdusq; iniere. Hic ex quo annos ferme triginta imperasset, a Selino filio regno pellitur.

Huc vsq; Egnatiũ sequutus sum. Hic Selinus paratissimis copijs aduersus Persarũ Regem Ismaelem venit, cæso in acie Persarũ duce, magnã Persiæ partẽ in desolationẽ dedit. Deinde Syriã subegit, & Sultanum vita exuit. Aegyptũq; imperata facere coegit, quod factũ est anno salutis nostræ. M.D.XVI. Quum porro & hic diem obijsset, Solimãnus filius eius regnare cœpit pro eo. Qui anno a nato Christo M.D.XXI. Albã Græcam Hungariæ ciuitatẽ cepit. Rhodũ insulã Anno salutis. M. D.XXIII. in deditionẽ recepit. Ludouicũ Hũgariæ regẽ, in acie cæsum interemit. Anno. M.D. XXVI. Budam Hungariæ ciuitatẽ, nõ tã cepit, q̃ vastauit, atq; adeo nihil in ea immanitatis suæ reliquit liberum. Viennam Austriæ obsedit, sed frustra. Quum secundo hoc idem tentaret, a Carolo quinto Romanorũ Imperatore facile retro cedere coactus est. Occurrens enim ei Cæsar exquisitissimis Germanorũ copijs, oẽm facile Turcicã vim repressit. Cæsa sunt passim Turcarum quinquaginta millia. Si Deus nos respiciat, facile recuperabimus Asiam, facile Turcas profligabimus. Nõ enim in finem hæreditatem suam relinquet Deus. Cuius rei non paruam nobis fiduciam & confidentiam adsunt, quæ superioribus his mensibus ab insigni & strenuo viro ac duce Andrea de Aurea designata cognouimus. Accepimus enĩ ab eo (Christo duce) recuperatã totã fere Moreã illã regionẽ opulẽtissimã, necnon Altzianchã, cũ alijs adhuc tũ prouincijs, tũ vrbibus ac insulis non paucis. Vnde maior victoriæ spes, et laudandus Deus in sæcula.

FINIS.



Scrutamini ſcripturas.
I. G.

LEGATIO
MAGNI
INDORVM
IMPERATORIS PRESBYTERI
IOANNIS, AD EMANUELEM LUSITANIAE Regem, Anno Domini.
M. D. XIII.

IN QVA

De Indorum fide, Ceremoniis, Religione, &c.
De illorum Patriarcha, ejusq; officio.
De Regno, statu, potentia, Majestate, & ordine Curiæ Presbyteri Ioannis, per Matthæum, illius Legatum coram Emanuele Rege pluribus agitur.

Interprete DAMIANO DE GOES LUSITANO.



DORDRACI
Excudebat Iohannes Leonardi Berewout,
Anno M. D. C. XVIII.


CORN. GRAPHEVS, IOANNI
Grapheo fratri, Typographo,
S. P.

TER nobilis ille Damianus Gooes, Lusitanus, amicus meus summus, cum tampridem Regis sui causa apud Scythas ageret, rogatus à Ioanne magno Gotho, Archiepiscopo VVpsalen, hanc Indicam Legationem, cum inde rediens se huc contulisset, è Lusitanico idiomate latinam fecit. Eam, ut est & eleganti natura & omnigena virtute, & generoso sanguine ingenuus, atq; ob id thrasonica procul audacia subverecundus, hactenus apud se latentem occuluit, nimirum mallens edendae illius fumum, alteri cuipiam quàm sibi dari. Ego libellum nactus, atq; ab eo velut extortũ ad te mitto lepidissime frater, ut eum typis tuis exusum, sub vulgi ora emittas, id erit & mihi vehementer gratũ, & illi non Indecorum, *& aequis Lectoribus non iniucundũ, Vale,*
Idib. August. M. D. XXXII.

DAMIANVS
DE GOOES LVSITANVS

Amplissimo patri, D. Ioanni magno Gotho, Archiepiscopo Wpsalen, in Regno Succiæ.

S. P. D.



ONTRACTA inter nos Dantisci (Deo haud dubie authore) amicitia, cũ illic Regis mei causa agerem, dum crebro congredimur, incidit nobis sermo de rebus Lusitanicis, nempe de expeditionibus Indicis, Arabicis, Persicis, de itineris ad eas regiones cum longitudine, tum difficultate, de vastissimi Oceani discriminibus, de assiduis cum Arabibus, Persis, Indis tam citra quã ultra Gangem prælijs, de annuis Turcharum incursionibus, qui ingentibus per sinum Arabicum ad minorem usque Indiam missis classibus, nostros (invictos tamen) graviter infestant. Deniq; ubi multa hujusmodi disservissemus, commodũ admonuisti me de magno Indorum Imperatore Presbytero Ioanne, cujus ipse hisce oculis apud Regem nostrum vidi olim Legatum, cunctáq; præsens audivi, quę ille de fide, de Ceremonijs, de statu Regni Imp. Presb. Ioann. astantibus proceribus articulatim disservit. Quæ quidem cum tibi ordine narrassẽ, petijsti à me, uti ea omnia (si quando ad Belgas redire mihi daretur) summati descripta, una cum articulis fidei, ceremoniarum & status imperij il-

 lorum

lorum ad te mitterem, quod & me sedulo facturum pollicebar, Ad Bellgas itaque per mille itineris discrimina, tandem incolumes reversi, tuæ nobiscum sanctissimæ consuetudinis neque unquam neque usquàm obliti, & jam polliciti memores, cuncta à me (ut volebas) diligenter descripta, ecce ad te mittimus, Mittimus autem in primis exemplum epistolæ, quàm magnus ille Indorum Imperator Presbyt. Ioann. ad Dominum nostrum Lusitaniæ Regem scripsit, tum deinde articulos, quibus illorum religionem, Ceremonias, Imperatoris potentiam, aulæ claritatem, legatus ille summatim perstringens exposuit.

PORRO (ut rei veritas clarius pateat) quomodo ex omnia coram & viderim & audierem, paucis explicabo.

Hic Rex sive imperator proprio quidem nomine tunc vocitabatur David.

ADPULIT in Lusitaniam anno salutis humanæ M. D. XIII. Legatus à magno illo Indorum Imperatore Presbyt. Ioan. ejusq; matre Regina Helena, ad Christianiss. Lusitan. Regē Emmanuelem missus, cui nomen Matthæo, natione armenicus, is legationis suæ comitem habebat adolescentulum quempiam nobilem, patria abessinum, in aula Imperatoris Presbyt. Ioann. educatum, cui nomē erat Iacobo, ij & festine & miracum lætitia à nostro Rege accepti, perpetuum triennium in aula regia manentes, in magno honore habiti, regio sumptu tantisper sunt aliti, dum nobis vale dicto ad dulcem patriam alacres redirent, Is itaque Matthæus ubi ea quæ in mandatis habuerat, coram Rege nostro declarasset, literasq; Imperatoris sui Regi tradidisset, Rex diebus paucis post jubet eosdem ad se accersi, & corā doctis aliquot, astante procerum corona per interpretem rogari,

Hunc Matthæum ipsi vidimus ac sæpe numero allocuti sumus.

rogari, de eorum fide, ceremonijs, & Indici reguī ſtatu. Id temporis ego duodecim annos natus, unus inter regios pueros quos à lancibus ad Regiam menſam ferendis, diſcophorus nominant, ubi Regiæ Majeſtati per biennium in eo munere inſervieram, his omnibus præſens adfui unaque cū cæteris aulicis cuncta, & vidi & audivi, quantumque per ætatem licuit etiam intellexi.

AT hic dicas, qui tu, tantulæ tunc ętatis puer, ea omnia ſic literis memoriæve commendare potuiſti, ut articulatim deſcripta jam (tanto elapſo temporis intervallo) ad nos mittas? Reſpondeo: fateor me id per ætatē tunc non potuiſſe, ſed ubi jā decē ferme in meo illo munere peifeciſſem annos, ille Chriſtianiſſ. Rex Emanuel, educator me', novo mihi dato officio, me negociorum ſuorum cauſa huc ad Belgas mittit, quo ubi perventū eſſet, opportune offendi hominem cum nobilē tum ſolertē, mei & ordinis & officij conſortē, cui nomen Roderico Ferdinando, qui in præſentiarum Regiæ negociationis principē, (factorē vulgo vocant) hic agit, is cum antea à Rege Emanuele legationis munere fungeretur apud Imperatorem Maximilianū, ac Albertum Bavariæ ducē, accepit literas ab Antonio Carneiro regis Emanuelis ſecretario, quibus ille hos articulos quos aliquando corā rege ſcriptis mandaverat incluſos miſerat. Hujus itáq; Roderici Ferdinandi amicitia comparata, ubi jam pridē de noſtris utrinq; negocijs conferētes, in Germanicā illam ſuam legationē forte incidiſſemus, incidimus quóq; in rerum Indicarum mentionē, tum ille ait ſe ab Antonio Carneiro habere cū ſupramemoratorū articulorū, tum magni indorum Imper. Presb. Ioan. epiſtolæ ad noſtrū

 regem

Regem exemplar, id ubi audio, continuo illorum mihi copiam fieri flagito, admittit, accipio, è vernaculo lusitanico qualicumq; stilo latina facio, tibi dedico, ad tē mitto, in quibus quidē si Barbariem quampiā forte deprehendes, ignosce quæso homini & aulico, & in re literaria parū exercitato, & plurimis negocijs vehementer impedito, qualia qualia autem hæc sunt, vero enim veriora sunt, boni æquiq; consulas velim præsul ornatissime. Sed jam audi quid magnus ille Indorum Imperator ad regem nostrum scripserit, audi inquam illius ad regē nostrum non fucatam, sed veram, & ad verbū ferè ex sermone Caldaico quo illi præcipue utuntur, in lusitanicum, deinde in Romanum idioma quamfidelissime translatam Epistolam.

EPISTOLA

MAGNI INDORVM IMPER.

Presbyt. Ioan. Ad potentissim. Lusitanorū Regem Emanuelem.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti unius solius in tribus personis Dei, Salus gratia & benedictio Domini nostri & redēptoris Iesu Christi filij Mariæ virginis nati in domo Bethlemica, sit super dilecto fratre nostro Christianissimo Rege Emanuele dominatore maris, victore ferorum incredulorum Maurorū Dominus Deus te bene fortunet, tibi victoriā de inimicis tuis donet, tuáq; regna & ditiones per devotas preces nunciorū redemptoris Christi, nempe quatuor Euangelistarum, S. Ioannis, Lucæ, Marci,

Matthæi, longè lateq, dilatet & extendat, quorum sanctitates & orationes te servent.

CERTIOREM te facimus per quam dilecte frater, ad nos usq; appulisse ex magna illa vestra & eximia aula, duos nuncios, quorum quidē alteri nomen erat Ioanni, qui se presbyterum aiebat, alteri Ioanni Gomez, petijsseq; à nobis commeatum & milites. Quare nos mittimus nostrū Oratorem Matthæum, fratrem nostri servitij, cum venia Patriarchæ Marci, qui nobis dat benedictionem, mittens presbyteros Hierosolymam, qui est pater noster, ac omnium nostrarū ditionem, columna fidei Christi & S. Trinitatis. Is de nostro mandato misit ad magnum vestrum ducē, eorum qui pro fide nostri servatoris Iesu Christi militant in India, ad illi significandum nos esse promptos mittendi tum commeatum tum milites si necessum fuerit.

PROINDE fama accepimus Principē Cayri cogere multam classem adversus vestras copias, nimirum ut sese vindicet de injurijs damnisq, per militiæ vestræ quam in India habes, Duces, sibi (ut vere nobis constat) sæpe illatis, quod Deus sua sancta bonitate indies magis magisq; fortunare dignetur, ut cuncti tandem increduli penitus sub jugum mittantur. Nos itaque adversus illorum insultus missuri sumus militum copias, quæ maneant ad fretum Mechæ, scz beb almandeb, aut certe easdem destinaturi (si id tibi commodius videbitur) ad portum Iuda, aut Thor, ut tandem auferas perdasque hujusmodi mauros & incredulos à facie terræ, ita ut dona & oblationes quæ adferuntur ad sanctum sepulchrum, deinceps non vorentur à canibus.

Princeps Cayri tunc erat Sultanus Ægypti, quam nunc occupat magnus Turcha.

Iuda & Thor, sunt civitates maritimæ ad sinum Arabicum, quo Lusitani quotānis in Barbaros excursum faciunt.

Præcicis id est Christianis Europeis. Indi enim & Mahometani fere omnes, Christianos Europę generali nomine vocant Francos.

ADEST jam tempus illud promissum, quod (ut ajunt) Christus & Mater illius Maria prædixere, quod scilicet in postremis temporibus oriturus esset è regionibus Francicis Rex quispiam, qui aboliturus esset universum Barbarorum & Maurorum genus. Et hoc ipsum quidem nunc tempus est, quod Christus benedictæ suæ Matri Marię futurum promisit.

PORRO, quidquid Orator noster Matthæus vobis dicturus est, id velut à nostra ipsorum persona profectum accipite, eique fidem adhibete, est siquidem unus inter nostræ aulæ præcipuos, atq; ob id illum ad vos mittere voluimus. Commisissemus autem hæc vestris istis nuncijs, quos huc destinastis, sed cepit nos metus ne nostra negocia ex nostra sententia vobis nota forent.

Hāc quoque crucē ipse vidi & adoravi nonnunquam quandoquidem frater meus cui nomen Fructus de Gooes id temporis erat regiā cubiculis, eamque in crucem in custodia habebat.

MITTIMUS ad te per hunc nostrum oratorē Matthæum crucem unam, factam quidem ex frusto ligni, in quo servator noster Iesus Christus crucifixus fuit Hierosolymis, Id autem sacrosancti ligni frustum ex Hierosolymis ad nos allatum est, porro ex eodem duas fecimus cruces, earum altera quidem apud nos manet, alteram vero dedimus isti nostro Oratori ad vos perferendam, Lignum nigri coloris est, pendetq; ab exiguo argenteo anulo.

CAETERUM si tibi visum fuerit, aut vestras filias matrimonio jūgere nostris filijs, aut nostros filios dari vestris filiabus; id & nobis in primis pergratum erit & utrisque utile, & fraterni inter nos initium fœderis, quod quidem cum in præsentiarum, tum etiam in futurum tecum inire percupimus.

RELIQUUM est ut & salus & gratia nostri redemptoris Iesu Christi, sanctæque nostræ Do-

mi næ

minæ Mariæ virginis se extendat tum super vos, tum super filios, filias, universamq; vestram domum, Amen.

AD hæc autem vos certiores facimus, si nostram militiam contrahere velimus, satis virium nobis futurum esse, ad (divino accedente auxilio) abolendum universos nostræ sanctæ fidei inimicos, Verum nostra regna & ditiones sic sunt in continenti sita, ut nusquàm in Maria possimus erumpere, Quare nihil nobis est potentię in mari, in quo (Deo laus) tu omnium es potentissimus.

IESUS Christus, sit tibi auxilio, res enim quæ in India per te gestæ sunt, sunt profecto magis miraculo sæ quàm humanæ, Quod si mille velis armare naveis, nos & commeatum dabimus, & cuncta quæ ad eam classem opus erunt, abunde suppeditabimus.

QUIBUS quidem literis per interpretem rite intellectis, ter Christianissimus ille rex Emanuel, rerum Christianarum multo avidissimus, à legato illo resciscere cupiens, quo pacto se res & fides Christiana apud Indos haberet, post dies aliquot acciris aulæ Primoribus, jussit illum per eruditos suos Christianæ Theologiæ interpretes quos tum ad manum habebat, coram se de singulis interrogari, Ille vero articulatim respondens, cuncta quæ hic sequuntur ordine declaravit.

INDORVM

CONFESSIO

ILLORVM FIDEI DEQVE

Ceremoniarum & religionis ritu.

1 ILLUD imprimis communi nobiscum fide persuasum sibi habent, unũ pariter ac trinum esse Deum, cui uni ut optimo patri omnia ex animo credunt & fidunt.

2 ILLUM ipsum ex nulla subjecta materia, hoc est ex nihilo incomprehensibili modo finxisse cum cœlum, tum terram, ac itidem quicquid utriusque continetur ambitu.

3 IESUM Christum, unctum illum Regẽ, Servatorem, Messiam illum divinis oraculis toties promissum, veri illius Dei verũ esse filium, ex Maria cum ante tum post partum semper virgine, in Bethleem civitate David, juxta Vatum prædictiones, natum.

4 EUNDEM, Hierosolymis, peccatorũ nostrorum causa, sub Pontio Pilato, Romano præside, rerum Iudaicarum procuratore, iniquissimo judicio damnatum ac passum, mortuumq; & sepultum.

5 EUNDEM vero continuo ad inferos descendisse, convulsisque & fractis illorum portis, tertio demum die cum summa hostium & mortis victoria redivivum surrexisse, ac deinde in cœlum unde venerat, mirabili quidem ascensu rediisse.

6 AD hæc, ingenue fateri, se tandem post hujus vitæ mortalitatem universalem eandemque immortalem corporũ olim expectare resurrectionẽ,

SE quoque eadem fide expectare, Christo Iudice, cum bonorum tum malorum universale judicium, quo quisque juxta opera à se in hac vita perpetrata justam mercedem accepturus sit. 7

Quo facto judicio, immortalitatem pijs hominibus nunquam desituro gaudio futurã esse gloriam, Impijs verò æterno cum cruciatu, ignominiam. 8

PROINDE, apud sese, haud secus atq; apud nos, solenniter observari decem Mosaica præcepta. 9

SEPTEM quoque nostro more capitalia prędicari crimina. 10

OMNEIS se habêre liberos à Mose conscriptos, omneis deniq; Prophetas, cæteráque omnia veteris instrumenti volumina. 11

QUATUOR præcipuos apud eos haberi Euangelistas, nempe illos ipsos qui & apud nos, nimirum Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem. 12

EX Epistolis vero Paulinis nihil quidquã eis deesse, quarum Catalogũ singillatim coram recitavit. 13

SYMBOLUM Apostolicę fidei, singulosque illius articulos ipsis probari. 14

PRAECATIONEM dominicam, à Christo institutam tanti apud eos haberi, ut eam cæteris omnibus precationibus facile anteponant. 15

ANGELICAM item salutationem ipsis in Deiparę virginis Marię honorẽ in celebri usu esse. 16

INFANTEIS eorum, septima à partu luce, & sacri baptismatis aqua ringi & simul Mosaico ritu circumcidi, Idque nullo aut meriti aut fiduciæ respectu, sed veteri tantum consuetudine à majoribus per manus tradita. 17

18 CUNCTUM populum, in memoriam veri & semel suscepti baptismi, quotannis in Epiphaniæ festivitate, miro cum gaudio & mentis exultatione Christi fidem de integro publice profitentes, solemniter rebaptizari.

19 IN memoriam Dominicæ cœnæ nostro ferè ritu missarum sacra fieri, idque neq; mercedis neque precij neque lucri ullius gratia, nisi forte gratuita dumtaxat eleemosyna à quovis religiosiore ultro oblata.

20 SACROSANCTUM se Eucharistiã pro præcipuo sacramento habere, indubitatum Christi cum corpus tum sanguinem esse syncera fide profitentes, atq; juxta Christi institutum, sub utráq; specie communicantes.

21 SACRI olei & Chrismatis sacramenta agnoscere.

22 CONTINUO ut flagitium aliquod admiserint, ad sacerdotem festinabundos adcurrere, cui ejus flagitij delictum secreta confessione declarent.

23 ADMISSI flagitij mulctam (recepto vocabulo pœnitentiam vocant) in sacerdotis esse arbitrio, eamque à confitente summâ observari diligentia.

24 IEIUNIUM (quoties id fit) citra carnium pisciumúe esum, citraque ullam symboli admissionem fieri.

25 PRO Quadragesima, Septuagesimam Iejunare, eamque (ut ex temporis ratione colligi potest) simul cum nostra quadragesima inchoare.

26 DIEM dominicum, cæterasque festorum ferias, à suis Pontificibus, in Dei, Deiparæque virginis, ac aliorum quorundam Divorum memo-

riam institutas, summa cum reverentia apud eos celebrari.

27 MEMORIAM Christi passionis extrema hebdomada suæ septuagesimæ quo tempore & secũdum nos fiunt, fieri.

28 PALMARUM festum & eodem nobiscum tempore, & nostro fere ritu quotannis fieri.

29 LUMINUM quoque celebritatem, & modo & tempore nobiscum convenire.

30 SOLENNEIS supplicationes juxta temporis rationem necessitatemque fieri.

31 SANCTORUM pariter, atq; fidelium defunctorum celebrem commemorationem quotannis semel agi.

32 CINERUM Cerimonias, per omnia nobiscum quadrare, sive ritum spectes, sive temporis rationem.

33 MONASTERIORUM innumeram esse multitudinem, non virorum modo, sed & mulierum quoque, in abstinentia nimisquam acerba viventium.

34 INTER ea monasteria, esse quędam, quæ singula vel septingentenos vel octingentenos, vel millenos alant monachos.

35 ESSE in eo regno montem quempiam, duodecies mille monachis spaisim habitatum.

36 MONACHOS (quotquot in tam vasto numero existant) suopte ipsorum & labore & industria victum quæritare, nulloque pacto eleemosynæ accipiendæ causa, domatim per vicos, rura, oppida, villas vagari licere, omni nimirum mendicitatis licentia illis penitus interdicta, nisi si quis forte ad eleemosynam propensior, quidpiam gratuito donaverit, tum non emendicatæ impro-

improbitatis, sed ultro oblatæ charitatis loco, accipere posse.

37 CONCIONATORES passim esse, qui Christi fidem populo prędicent, nempe eos qui ex ecclesiastico Presbyterorũ Monachorumúe ordine habentur doctiores eruditioresque.

38 PLURIMA undique esse Xenodochia seu hospitalia, quib⁹ pauperes tantũ benigne recipiãtur.

39 SACRAS ædes infra divorũ templa, flagitiosis ad ea confugientibus præsidio esse, ea tamẽ lege, ut si quis ex eis proximo interfecto, eo se receperit, eidem usque adeo tenuis concedatur edendi portio, ut tandem ex inedia mori cogatur.

40 VITA defunctos, non modica exequiarum pompa, ut apud nos, cum precationibus, crucibus, clericis, alijsque id genus cerimonijs, in sacris ædibus sepeliri.

41 SANCTOS & cœlestis cõversationis homines, jam olim vita functos, exactissimo super eorũ statu, dum vivebant, pietate, religione, facto examine, inter Divos referri, hoc est, quod Ecclesiasticis Græco vocabulo dicitur, Canonizari.

42 MARITOS, pro sacræ ædis foribus solenni conventu, unam tantum ducere uxorem, per verba, ut aiunt, de præsenti.

43 EOSDEM ex veteris consuetudinis jure non posse eorum sanguinis ducere uxorem nisi usq; in septimum consanguinitatis gradũ infra quem ne summus quidem illorum Patriarcha ullo pacto dispensare aut potest aut præsumit.

44 IN sacris ædibus, Dei, atque item genitricis virginis nec non cæterorum Divorum imagines haberi, colique.

45 AQUAM quam benedictã vocant, in templis servari,

ſervari, eamq; malis dæmonibus arcendis efficacem cenſeri.

PERQUAM plurima, nec minus ſumptuoſa apud eos eſſe & templa pariter atque Campanas. 46

VESTES, quib⁹ ſacris faciẽdis uſus eſt, cõſecrari. 47

FESTIVITATEM Divi Ioannis Baptiſtæ, præ cæteris percelebrem haberi. 48

ANNUM, à menſe Septembri initium ſumere. 49

ROMANUM Pontificẽ apud eos agnoſci, cui quo minus (ut cæteri Chriſtiani) obedientiæ obſequio ſub jiciantur, difficillimi itineris moleſtias in cauſa eſſe. 50

S. BARTHOLOMEUM, Chriſti Apoſtolum primum apud eos Euangelium, eamque quæ in Chriſto eſt fidem predicaſſe. 51

DE EORVM PATRIARCHA, EIVSQ; Officio.

VNUM apud eos eſſe, ſacrorum præſidem, ſeu Pontificem, quem Patriarcham, id eſt, patrum principem nuncupant, Eum ſolum in ſpiritualibus, quas vocant, rebus, id eſt, in Eccleſiaſticis cum officijs, tum beneficijs diſpenſandis, citra ullum quorumcunq; ſæcularium impedimentum prçeſſe, ac ſine uxore perpetuo celibem vivere. 1

EMOLUMENTA hujus Patriarchæ perquam eximia & ampla eſſe, utpote cui tertia emolumẽtorum Imperatoris Presbyteri Ioannis pars, cedat, idque præter univerſas totius regni decimas. 2

EORUNDEM verò emolumentorũ ſeu vecti- 3

galium

galium proventus, dumtaxat in pauperum, in orphanorum matrimonio elocandorum, atque in redimendorum captivorum usum impendi.

4 Eo Patriarcha vita functo, Imperatorem Presbyterum Ioannem omnium bonorum illius hæredem fieri. Successori vero nihil quidquam præter patriarchalis Cathedræ dignitatem, ovicularumque sibi commissarum curam, relinqui.

5 HUNC Patriarcham, vocari Patriarcham Alexandrinum, idque hac quidem ratione, quod cũ antiquitus quatuor tantum essent, Christianis in universo orbe patriarchæ, Indi Alexandrinum sortiti essent.

6 HUIUS Patriarchæ designationem seu electionem veteri consuetudine tantum Hierosolymis fieri, idque suffragijs quorum libet religiosorum, Imperatori Presb. Ioan. subditorum, quos id temporis Hierosolymis peregrinationis ergo mansitare contingit.

7 EUNDEM hunc Patriarcham, in homines contumaces & obstinatos anathematum & excommunicationum exercere tæla, eáque úsque adeo observari metuiq; ut is qui hoc fulmine vel afflatus fuerit, tantisper ne cibum quidem aut potum attingere ausit, donec se absolutum senserit. Quòd si quispiam per contemptum obaudire nolens, delicto ob quod anathemati devotus sit, obstinatius satisfacere renuerit, sub ducto ei cũ cibo tum potu tantisper affligitur, dum fame atque inedia absumi cogatur.

8 EUNDEM pro nullo unquam delicto populum ita subjicere interdicto, ut sacramentis Ecclesiæ carere cogat, nisi tantum homicidij causa.

9 SACERDOTES apud eos Vxorios esse, Vxore

re autem mortua nequaquã aliam unquã ducere.

SPURIOS & incestuoso thalamo natos, ad sacerdotium non admitti. 10

NUNQUAM quenquàm ad sacerdotalis muneris functionem admitti, nisi acri doctorũ examine probatum, qui si inidoneus deprensus fuerit, ignominiose rejici. 11

IMPERATOREM Presbyterum Ioannem nihil quidquam imperij in Clericos habere, eo nimirum jure ad solum Patriarcham spectante. 12

SI quis Ecclesiasticorum capitale aliquod admiserit flagitium, illum Patriarchæ arbitrio esu per uncias concesso, inedia & fame paulatim confici, Neminem vero ex illis simpliciter ad necem tradi, nisi is fuerit homicida. 13

EUNDEM Patriarcham plenarias dare peccatorum indulgentias & absolutiones. 14

EUNDEM à Consilijs habere duodecim viros, Quibuscum rem Ecclesiasticam dispenset, & gubernet. 15

DE REGNO
ET STATU IMPERATORIS Presbyteri Ioannis

Post hæc rogatus de illorum Imperatoris regno & dominatu, in hunc modum respondit.

ILLUM in amplissimis suis illis Regnis immensam habere urbium pagorumque multitudinem. 1

PROCERES Sericeis, Holosericeis, Aureis, Li- 2

 neis,

neis, Byſſinis, Bombycinis cæterisq; id genus precioſis veſtibus uti.

Plebos tantum laneis veſtiri.

3 Varias iiſdem regnis eſſe merces, eaſq; ad
4 modum præcioſus.

Auri, argenti, aliorumque metallorum cũ
5 fodinas, tum copiam eſſe.

Nullam haberi monetam præter eam quę
6 illuc ex finitimis regnis aſportatur, aurum vero & argentem monetæ loco pondere accipi.

Tritici apud eos plurimam eſſe abun-
7 dantiam, idque diverſorum adeo colorum, nempe albi, nigri, rubri, cœrulei &c. Porrò farinam omnibus candidam eſſe. Leguminum vero & copiam & diverſitatem non minorem haberi.

Saccarum naſci copioſiſſimum.

8 Boves, oves, equos, mulos, camelos, capras,
9 porcos, cæteraque id genus domeſtica animalia præter aves innumeram ſe poſſidere multitudinẽ.

Carnem ſuillã non edi, non quod conſcien-
10 tia aut religio id jubeat, ſed quod corporis incolumitati ſit adverſa.

Imperatoris ſtatum ac ditionem eſſe
11 omnium ampliſſimã, utpote qui ſexaginta Chriſtianos ingentium regnorum Reges ſibi ſubditos habeat, quos idem legatus, ſuis quosq; nominibus ſingulatim coram nominavit.

12 Praeter ſexaginta hos reges, quinque ad huc eſſe reges Mahometicos.

13 Innumeros in ſuper eſſe Regulos, Duces, Comites, Marchiones, Barones, Dominos, magnis & ditionibus & proventibus inſignes

14 Inviolatiſſime ab omnibus illis ſervari quidquid Imperator mandarit.

Chro-

CHRONICA & annales, rerum ab eorum regibus gestarum haberi, illisque quidquid fama dignũ fuerit diligenter per chronographos inscribi. 15

IURA, leges, statuta, ordinationes publicas, ad populum rite gubernandum, apud illos scriptas servari. 16

IMPERATORI assidue præsenteis adesse, xij. viros, à consilijs, quibus cum de regni rebus communicet. 17

PER universa imperij sui regna & ditiones, Iudices esse constitutos, qui juxta locorum rerum & personarum exigentiam, caussas cum audiant tum judicent. 18

NEMINEM per judices ad necem condemnari licere, nisi si quis alterum occiderit. 19

IMPERATORI uberrimos vectigalium esse proventus. 20

EUNDEM tam ab incolis quàm peregrinis mercatoribus decimam lucri partem sibi vectigalem facere, sorte manente libera. 21

SACRI ordinis esse milites, qui super candido paludamento crucis symbolo insigniti, Christianæ fidei caussa, semper ad prælia se expeditos præbent. 22

Hi milites sunt, quales in Lusitania Hispania, Germania, Prusia, Rhodo, cruce signatos est videre.

PARENTUM hereditates, post eorundem mortem, æqua portione ad filios devenire, nullo habito respectu majores ne, an minores sint natu.

NULLOS in universis illis regnis & provincijs Iudæos esse, cum tamen aliquando numerosiores fuisse constet, sed populo non ferente illorũ insolentias, una omnes de repente trucidatos atque extinctos esse. 24

NUNDINAS apud eos esse percelebres, & negotiationum copia opulentas. 25

REGNA, provincias, & ditiones Imper. Pres-
26 byt. Ioan. se extēdere ad utramq; usq; Nili partē.
NULLUM, præter Erythræum, hoc est, ru-
27 brum mare, illis cognitum esse.

DE EODEM
ET ORDINE CVRIÆ.

HUIC Imperatori, peculiare nomen esse
1 Davidi, Commune vero, Presbyt. Ioan. Re-
gi Ebessinorum.

ILLIUS titulos sic inscribi, Rex regum Da-
2 vid. Rex Ebessinorum, Presbyter Ioannes, Rex
regum ipsis Ebessinis, omniumq; suarum pro-
vinciarum, & juxta & ad finem marium, Rex
Nili, & judex magni Sultani, & habitationis Cay-
ri, & Cathedræ Alexandrinæ, Virtute Dei & re-
demptoris nostri Iesu Christi & virtute divæ vir-
ginis Mariæ.

Ebessini sunt præcipui populi Indiæ, apud quos magnus ille Imperator Regni sedem habet.

3 HUNC Imperatorem, ex antiquitus recepta
consuetudine, uxores ducere, filias duntaxat Re-
gum sibi subditorum.

4 TANTI imperij successionem, pervenire ad
filium majorem natu tantum.

5 EUM vel solum adcuratissime nutriri in aula
paterna, reliquos vero filios, siqui sint, vel apud
Reges vel eminentiores Principes Imperatori sub-
ditos regio ritu educari.

6 REGNORUM successionem patriæ jure ad
filiam nunquam devolui porrò defuncto impera-
tore absq; mascula prole, cognato sanguine pro-
piorem succedere.

7 VXORIS Imperatoris mire eximio in statu esse.

IMPE-

IMPERATORI præsto esse immensam cum equitum tum peditum multitudinem. 8

EUNDEM (ut milites exerceat) semper ferè cũ exercitu versari in campis, ubi in splendidissimis atque ornatissimis tendiculis militari disciplinæ intenti degunt. 9

PRINCIPEM locum inter aulicos tenere imperatoris Cubicularium. 10

IMPERATORI pro corporis custodia, duodecim perpetuo adesse regnorum suorum primates, quorum singulis parent singuli duodecies mille militaris disciplinæ viri. 11

EOSDEM illos duodecim primates præcipuis fungi officijs aulæ. 12

APUD eosdem genealogias, & progenitorum nomina & agnomina diligenter observari quibus suam quisque & gentem, & genus pernoscere queat. 13

IMPERATORIS filios filiasue, magnis dotibus matrimonio jungi filijs filiabusue regum ei subditorum, ac tum gratuita dona à subditis ultro offerri. 14

ILLUM juxta temporis necessitatem suorum subditorum servitio & obsequijs uti. 15

REGUM subditorum filios (ad alliciendos patrum animos) in Imperatoris aula educari. 16

ILLUM provocationes singularium certaminum seu duellorum subditis admittere. 17

MATREM nunc regnantis Imperatoris Presbyteri Ioannis vocari Helenam, mulierem sancti & magnum continentis vitæ exemplum, cui cum eximiæ virtutis gratia, tum ab juvenilem filij ætatem universorũ regnorũ permittuntur habenæ. 18

REGUM, Imperatorum, Principumve Chri- 19

ſtianorum Europæ notitiam ad illos nunquàm perveniſſe, niſi Francorum dumtaxat, quos vernaculæ linguæ idiotiſmo Chriſtianos vocant. Verum præclaris rebus paucis ab hinc annis per Luſitanos in Turchas, Perſas, Arabas & Indos crebro geſtis, Luſitanorum eorumque Regis nomen, tandem cepit apud illos & cognoſci & in precio haberi.

HABES ecce ampliſſime præſul, quæ tuæ amplitudini de Indica illa legatione (cum apud te eſſem) pollicitus fueram. Cæterum ut ſupra de ſcriptis firmior habeatur fides, addam hic quæ nobilis, mihiq; in primis familiariſſimus Georgius Lupus Dandrade, mecum regio nomine regia negocia apud Belgas gerens, unaque nobiſcum Antverpiæ in eiſdem ædibus agens, jamdudum narravit, Ejus autem narratio ſic habet.

Loquitur de India Gangetica.

PER ea tempora quibus ipſe regiorum negociorum cauſſa in India verſatus eſt, verſatus eſt autem per aliquot annis, Strenuus homo, Lupus Soarez, ex Regio mandato erat primarius Dux Præfectus militiæ Luſitanicæ, regnisque & civitatibus, oppidisq; & caſtellis, quæ Regis Luſitani ditioni ſubjiciuntur ab Æthiopia ad Chinas uſq;. Is ingentem paravit ſibi claſſem, qua è majorum more Cochino (cochinum autem eſt Luſitanorum illic Ducum arx & ſedes) trajiceret ad ſinum Arabicum, mare rubrum vulgo vocant, adverſus Turcham, qui nunc Sultani loco ejus ſinus occupat regiones, ubi verò appuliſſet in inſulam quandam, Camarã indigenæ vocant, in eo ſinu ſitam,

confestim curavit aptari duas naveis, cum lectis aliquot, sibique ut familiarissimis ita & fidissimis Lusitanici sanguinis hominibus, inter quos hic noster Georgius unus erat. Quibus mandavit trajicere in aliam insulam quæ dicitur Mazua, ut illinc sub negociationis prętextu ex ijsdem navibus treis mitterent exploratores ad magnum Indorum Imp. Presb. Ioannem, idq; duas ob caussas: Primum, ut de legatione per supra memoratum Matthæum ad Regem nostrum facta certiores fierent, eaq; vera ne an conficta esset, resiscerent. Deinde ut illic accuratius explorarent quę littora, qui portus, sub ditione presb. Ioan. essent. Ex ijs autem tribus exploratoribus unus quispiam erat Clericus, & in sacris probe expertus, cui nomen Iusarte Viegas Bracarensis. Hi ritè perfuncta cum navigatione tum exploratione, salvis ambabus navibus ad ducem incolumes rediere; renunciantes omnia quæ ibidem viderant, & ab illarum regionum incolis audierant, illamque Matthæi legationem pro verissima sibi compertam fuisse. Matthæum vero eundem illum talem prorsus fuisse qualem ipsi apud Regem nostrum his oculis legatum vidimus. Causam vero, modumque illius legationis narrabant hujusmodi.

HELENA regina, mater tunc Davidis Presbyteri Ioannis, atq; omnium illius regnorũ (quia puer erat) prudentissima gubernatrix, cum didicisset ex quibusdam Lusitanis nostris, qui in illius aulam appulerant, præsertim ex uno cui nomen Ioannes Clericus res nostras apud Indos adversus incredulos gestas, mittit Matthæum illum clancularia quidem legatione ad Christianissimũ tunc Lusitaniæ Regem Emanuelem id nominis pri-

mum, mittit autem cum illo juvenem quempiam Ebessinum, generis nobilitate illustrem, Iacobum nomine, de quo ante in Legationis discriptione mentionem fecimus, dedit vero illis literas commendatias ad præfectum totius ejus provinciæ, quæ sub ditione Presb. Ioann. ad Mazuam & sinum Arabicum protenditur ut illos quàm posset secretissime quibusvis necessarijs adiuvaret, dissimulans esse mercatores, qui eò negociationum suarum caussa venissent. Is Præfectus, & quemcunq; pro tempore esse contigerit, Ebessino idiomate Barvagais nominatur. Apud hunc Mattheus cum socio Ebessino ob reginæ commendationem liberaliter acceptus aliquādiu liberrime egit, nunquàm cuiquam sua consilia credens, neq; vel quid acturus vel quo inde abiturus esset effutiens, sese interea (quo tutius sibi commissa perageret) coriorum mercatorem fingens, subinde tamen emens Indica quædam clinodia, quæ ad Helenam Reginam clanculum mittebat. Atq; sub eiusmodi prętextu undiq; percurrebat varias variarum Provinciarum regiones, nimirum id agens ut per varia multorum Lusitanici nominis inimicorum regna & ditiones ab hostium insidijs tutus, tandem ad Lusitaniam pervenire, & susceptæ Legationis munus obire posset, si quidem alia ad id peragendum nulla erat via. Semper autem quocunq; per qualcunq; gentes iter instituisset, adhibebat secū comitē juvenem illum Ebessinum, relicta familia in Arquiquo, ea est civitas maritima, additionem Presb. Ioan. attinens, distans ab Mazua insula circiter passus mille, in qua Barvagais ille tū habitabat: est enim hujusmodi Prefecturę perpetua sedes.

IAM si quispiam forte argutulus objiciat, cur è tanto

è tanto nobilitatis numero, quantus in omnium Digressio. amplissima illa Presbyt. Ioan. aula esse non dubitatur, non missi sint in eam Legationem viri senes, graves, multarum rerum experti, & ex Ebessinis nati, qui maiorem coram Rege nostro prę se laturi fuissent authoritatem, potius quàm isti, quorum alter ab Ebessinorum seu Indorum nobilitate erat alienus, nempe Armenicus, alter tametsi Ebessinus, & in regia aula educatus, tamen juvenis, & uterque sine regio comitatu, exiguam Legationis dignitatem ostendentes. At hujus rei duplex adferri potest caussa.

PRIMA in cunctis illis regionibus, quàm vastæ sint, à sinu Arabico usque ad sinum Gangeticum tantum duo sunt Idiomata, nempe Persicum & Arabicum, quæ si quis probe calleat facile per totas illas provincias versari queat. Iam perpauci, & ferè nulli sunt in aula presbyteri Ioannis viri nobiles Ebessini, qui ea idiomata norint, primum quod parcissimam habeant consuetudinem cum exteris aut finitimis populis, deinde quod perquā raro contingat illos patrijs excedere finibus, patrio idiomate, patrijs moribus contentis, ob id Matthæus ille cum utriusque illius idiomatis gnarus esset, cunctarumque earum provinciarum (ad easdem enim sæpe accesserat) notitiā haberet, cumque per id tempus, tametsi Armenus, Reginæ à consilijs esset, multaq; apud eam authoritate polleret, huic legationi præ cæteris idoneus inveniebatur, adjuncto ei juvene Ebessino, qui & linguas & varios gentium mores disceret, ut si quando aliâs opus esset similes legationes obire posset.

ALTERA caussa Res Lusitanicæ apud Indos vel adversum Turchas vel Persas gestæ, ea tem-

pestate nondum ita Ebessinis innotuerant, ut illis necessum videretur nobilem aliquē senem Ebessinum, præsertim linguarum imperitum, in tam longæ tamque difficilis peregrinationis discrimen mittere, donec per alium quemvis certiores redderentur, idcirco Armenum illum Matthæum ad eam rem aptissimum, mittere placuit, qui nullo regio comitatu, sed mercatoris specie, omnia exploraret, id ita esse, res ipsa declarat. Quando quidem postquam omnia per illum exacte jam cognita haberent, missus est alter legatus, vir senex, nobilis, patria Ebessinus, sacerdos, sacrorum & Caldaicæ linguæ peritus, adducto secum multo & frequenti Ebessinorum nobiliumq; ex aula Imperatoris Presbyteri Ioannis comitatu, missus est inquàm ad potentissimum nostrum Lusitaniæ Regem Ioannem, id nominis tertium, siquidem Emanuel ejus pater decessit annos ab hinc ferme decem, Is legatus in presentiarum cum de Indico suo comitatu apud eundem nostrum regem, agit, habeturq; à nostris in precio, & authoritate non modica, Quem proculdubio haud quaquàm sic missuri erant, nisi per Matthæum de rebus nostris certiores redditi, Sed jam paulum digressi ad institutum revertamur.

Igitur Matthęus ille sub pretextu fictæ suę illius negociationis, cum ad alias plerasque civitates, tum maximè nonnunquàm accessit ad Aden usque, ea est civitas ad sinum Arabicum, Turchis subjecta, nostrarum civitatum ritu constructa, divitijs præpotens, & cunctis munitionibus multo fortissima, in qua ubi jam cum aliquot mercatoribus contraxisset familiaritatem cunctisq; rite exploratis sua confecisset negocia, undiq; apud Tur-

chas

ebas se Turcham simulans (aliàs enim neque tute per illas regiones peregrinari neque negocia sua conficere potuisset) ad Arquiquum ubi familiam reliquerat, cum Achate suo Ebessino illo, reversus est, unde assumpta familia, rursus ad Aden regreditur, sperans inde cum mercibus & familia posse ad Indiam navigare, siquidem ex urbe Adensi solent trajicere naves ad Indiam, Quo ubi appulisset vēditis corijs suis, emit merces Alexandrinas, quàs una secū aveheret ad Indos per quos erat ei moliendum iter ad Lusitanos, Iamque nactus navim, quæ ad Indiā tendebat, omnibus cōpositis eandem conscensurus erat cum inter cives Adenses oborta est suspiciuncula eum exploratorē quempiā esse, unde & detentus, & impeditus fuit ne eam navem conscenderet, ipse autē (ut erat & ingenio & longa rerum experientia astutus) ita se purgavit, claris rationibus se probans tantum esse mercatorem, nihilq; ibidē quærere præter mercimonia, ut eum cum familia absolutū, quoquo se conferre vellet dimitterent, Dimissus ergo nullam jam repperit navem quæ ad Indos transmitteret. Quare coactus accipere conducticiā, conscensa ea, soluit inde cum universa familià, venitq, Indiam versus, ad nobilē quandam & opulentā civitatem, cui nomen Xaer, quę dissita est ab urbe Adēsi ad miliaria ferme centum, ubi itidē nullas offendit naveis Indiam petentes, propterea quòd jam tum hyems esset, quæ illic incipit mēse martio, qua durante mare Indiam versus nullo modo est navigabile, propter importunissimum ventum, perpetuo spiritu (mirabile) ex eadem cœli regione ex adverso flantē, porrò cum jam oportunū esset, navigavit ab urbe Xaer ad eam quę vocatur Farteq; se undique

que mercatorem Turcham fingens, à qua se contulit ad eam quam Indigenæ vocant Dabul, profecturus illinc, ad urbem Goam, ubi tum hyemabat magnus ille Alfonsus Dalbuquerque, Lusitanus, Dux primus totius Indię, Lupi Soarez cujus supra mentionem fecimus prædecessor, qui totam illam Indiam, Arabiam, Persiam, Malachamq́; & totũ mare Gangeticũ Lusitanicę subjecit dominationi. Distat autẽ Dabul à Fartáq; quæ est in littore Indico quadringẽtis, à Goa vero quadraginta, à Dio autem sexaginta magnis miliaribus. Dio civitas est opulentissima subditione Regis Cambaiæ, boardis cæterisq́; bellicis machinis, & murorũ fortitudine munitissima. Porrò desedit in Dabul à mẽse majo usq; ad septẽbrim, eo quod non esset trajiciendi modus, interim ibidem suam agens negotiationem. Tandem autem exigua reperta scapha, clanculũ moliebatur inde abitionem. Quod cum aliquibus, quos illic nactus fuerat indicasset forte amicis, aut saltem suo vectori, quòd ad Lusitanos cum suis mercibus trajecturus esset, continuo ad urbis Magistratus delatũ est, esse virum quempiam peregrinum incognitum qui se furtim ad Lusitanos subduceret, unde non bona, sed tamẽ dubia adversus eum orta suspitione, blandiusculis verbis detentus à navigatione prohibebatur, is ubi hoc vidit, cõtinuo per mercatores qui apud Indos cum Lusitanis versari consueverant, quos sibi jam amicos fecerat, secretissime scribit ad Ducem Alfonsum Dalbuquerq́;, Indicans illi quàm potuit diligenter quo in statu res essent suæ. Ille quàm mox ut de his certior factus est, mittit eo naveis aliquot & biremes & triremes, Duce Silvestro Corzo, Quo ut is adpulisset continuo significat Magistrati-

gistratibus se ad eos missum à magno Duce Alfonso Dalbuquerque, quęsitum hominem quempiam illic negociantem, cujus conveniendi copia sibi esset pernecessaria, eumque illum ipsum esse quem quęrebat Matthæum. Quo cognito, facta est ei conveniendi hominis copia, eiq; ille in manibus libere dimissus est ob id autem Dabulenses hac liberalitate erga illum usi sunt, ut ne manifeste viderentur nobis esse hostes, quandoquidē multū à nostris Lusitanis qui in Goa & alibi per Indiā versantur, accipiunt lucri, ubi tamen possunt, clanculum nos mordent. Igitur abductus ab urbe Dabul Matthæus una cum Iuvene illo nobili Ebessino, universaq; familia, pervenit tandem ad Goam, ubi magnum illū Ducem Alfonsum cum innumera & populorum & nobiliū Lusitanorum multitudine tum hibernare diximus. Goa est & insula pariter, & in eadem ejusdem nominis civitas. Civitas inquàm, ut opulentissima, ita & omnium rerum ad humanū usum multo abundantissima. in ea versantur omnis generis mercatores, Indi, Arabes, Persæ. regnorumq; Narsingæ, & Cābaię. In Insulę ambitu quatuor sunt & magna & munitissima castra, à multis stipendiarijs Lusitanici generis militibus rite servata. Civitatem inhabitant fere mille & quingenti Lusitāni, cives ibidem, cum uxoribus, liberisq; & familijs, præter alios quàmplurimos & stipendiarios & qui negociationis caussa illic versantur. Tota autem illa insula cum civitate. & castris ditiōni Lusitanicæ subjicitur. In ea civitate sūt literarij ludi magistri, cum latinam tum lusitanicam linguam publica professione docētes, unde & totius ejus insulæ indigenæ, utramq; eam linguam æque callent, atq;

Goæ descriptio.

cam

eam in qua & nati & æducati sunt, Christi fides apud illos passim & divulgata, & accepta est. Sūt ibidem & multa & satis sumptuosa templa cœnobiáq; cum alia, tum maximè Franciscana, ubi cultus divinus magis ac magis subinde augescens, quotidie fit major, celebriorq;. In ea civitate in superiori liminę portę quam vocant sanctam Mariam da sera, nunc non sine magna veneratione servantur ossa magni illius tūc ducis Alfonsi Dalbuquerq;. Cæterum ubi jam Matthæus ab urbe Dabul ad portum Goæ appulisset Dux Alfonsus eum ad se venire jubet, Ille vero navem exire abnuit, respondens se non cujusvis principis, sed maximi illius Imperatoris presbyteri Ioañ Legatum esse, Indignū quoq; & haud ęquū censeri, si & tanti & Christiani Imperat. Legatus, à tanto Duce quantus Alfonsus illic erat, sine debiti honoris solennitate reciperetur, Igitur Alfonsus convocatis omnibus presbyteris & clericis, totaq; nobilitate quæ tum presto erat, ijs Matthæo, ut Magni Imperat. presbyt. Ioannis Legato obviam, cum crucibus cæterisq; id genus ecclesiasticis ornamentis, Clericis festiviter cantantibus, hymnum illum ecclesiasticum, Te deum laudamus &c. Post dies vero paucos cœpit Alfonsus illum rogare de sua Legatione, cui respondit se à Presbytero Ioanne mitti ad Christian. Emanuelem Lusitanorū Regem, atq; illi soli legationem aperire debere. Quo audito Dux nihil quicquàm amplius de illius legatione percontatus est. Sed ubi opportunū videbatur, illum ad nostram Lusitaniam navigare festinantem, cum tota familia, & nobili illo Iuvene Ebessino, perhumanitur à se dimissū, summo cum honore ad portū usq; persecutus est, atq; ita


ille

ille se ventis pelagoque committens, à Goa solvens, ad Lusitaniam contendit. Hæc omnia narravit nobis corā noster iste Georgius Lupus Dandrade, se pro veris comperta habuisse, cū (ut ante ostendimus) à magno præfecto Indiæ Lupo Soarez missus esset ex Insula Camara, ad sub negotiationis prætextu explorandum apud Ebessinos, de illius legationis veritate. Cum autem ille in Lusitaniam cum Iuvene illo Ebessino & familia appelleret, ego (ut antea testatus sum) præsens aderam hominemq; vidi, ac sæpissime eundem adlocutus sum. Erat autem homo mediocri statura, colore subalbido, ad pallorem vergente, capillo longo, cano, barba prolixa, atq; itidē cana, quę omnia prolixius tibi declarare volui Præsul ornatissime, ut & tibi & cunctis væritatis amatoribus rem verè gestam non superstitiose confictam probaremus.

DE PILAPIIS.


MEMINI ornatissime Presul, cum apud te essem tę mihi rettulisse, sub Archiepiscopatus tui ditione esse, satis vastam illam Scythici orbis regionem, quam Pilapiam vocant, ubi neq; ulla Dei & Christi cognitio, neque Lex, neq; ullus humane vivendi ritus est, Res profecto miserrima, & à vestris haud Christiane considerata. Accepi autem à viris cum bonis tum pijs, vero verius esse, vestros nobiles (proh dedecus ingens) caussam dare, quo minus Gentes illæ è beluis mitiores factæ, Christianæ fiant. Quandoquidem ita sibi putant plurimū à turpissimo lucro & cōsueta rapina, quibus miseros & innocētes illos per insatiabilē avaritiā gravissime premunt, ademptū

stri. Oravi igitur tum te,quemadmodum & nunc quoq; te oro atq; etiam per Christum obsecro, ac non tantum ego,sed & omnes qui eodem spiritu mecum idem sentiunt,ut pro pastorali tua sollicitudine summo conatu tantùm efficias, immo & ex officio tibi à Christo commisso efficere debes,ut fœda illa & nimisquam tyrannica procul nobiliũ vestrorum avaricia, simplicissimæ illæ animæ ad Christi tandem cognitionem alliciantur pendentes deinceps principibus debita vectigalia, perinde atq; cæteri Christiani suis principibus ultro pendere sunt soliti. Proinde videant nobiles illi vestri quid agant,ne cogant tantam perditarum oviculạrum multitudinem olim coram Iudice Christo justissimum adversus tantam illorum avariciæ tyrannidis ingluviem postulare judicium. Tu vero præsul optime cura ut hanc rem in portum ducas quod si facis, vide quam gloriam, quã mercedem à Deo,quam vero laudem, quod præconium habiturus sic ab hominibus. Reliquum est præsul ornatissime ut & quam diutissime & quam fœlicissime valeas. Arbitror me brevi aut ad Lusitaniam ad Dominum nostrum Regem aut ad Germanias hinc profecturum. Vbiubi autem me futurum esse contigerit, semper ex animo tuus ero, fratrem tuum Olaum magnum Gothum mihi amicum multo suavissimum meis verbis iterum salvere jubeas velim. Antverpiæ ex publicis Lusitanicæ nostrę nationis ædibus. Calend. Decemb. Anno M. D. XXXI.



EPISTOLA R. P.
NICOLAI TRIGAVTII E SOCIETATE IESV

DE FELICI SVA IN INDIAM nauigatione: itemquè de Statu rei Christianæ apud Sinas & Iaponios.





COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM KINCHIVM
ANNO M. DC. XX.

IN Europam scripturus, & multorum desideriis, qui res nostras scire cupiunt, facturus satis, hoc inij consilium, vt edito commẽtario, ea omnia persequerer, quæ de nauigatione nostra, breuiterq; de reb; Sinensibus, ac Iaponensibus maximè noua Goę reperi, quæque non ingrata fore sum arbitratus. Sed quia ex Typorum tarditate, nondum ita me promissis expediebam, eius ipsius cõmentarij compendium, & vniuersam rerum nostrarum faciem hoc epistolio subiiciam oculis eorum, ad quos scribere priuatim paro, vt eius e-exemplar priuatis litteris insertũ, interim dum editur commentarius, illius desiderium ita temperet, vt non restinguat sitim.

Soluimus igitur Olyssipponâ naues tres, 16. April. 1618. è Societ. 34. in duas naues distributi, altera 12. vehebat in Iaponiã destinatos, adducto in numerum Episcopo Iaponensi è nostra Soc. R. D. D. Iacobo Valẽte, Decẽ socijs præerat P. Gabriel Matos, qui Romam è Iaponia venerat suæ

prouinciæ procurator, huic naui nomen erat à S. Mauro: alterâ vehebamur pro Sinis 22. Lusitani decē, Itali tres, Germani quatuor, & præter me Belgæ totidem: in vtramque nauim res nostræ immissæ sunt. Prætoria neminem è nostris, nec è sarcinis hilum habuit, quod non sine magna Dei prouidentia factum videbimus. nauigauimus prosperè post primā maris nauseam, quę omnes nostros plus minusve ferè corripuit ad Canarias vsque simul tres onerariæ, cum duabus nauibus minoribus, quas Lusitani Vrcas vocant. Ibi nescio quomodo ab inuicem dilapsi, singuli suum iter accipiunt, nam ideo quod serius aliquanto soluissemus, quisq; sibi cauebat, ne sociarum nauium tarditate nauigationem in discrimē vocaret. Inde ad Zonam Torridam ferimur, rebus ita inter nos dispositis, vt iucūdissimè nauigaremus. Ægrorum cura, doctrina Christiana, Conciones, Missæ sacrificium ferè quotidianum, Casuum conscientiæ, Mathematicarum disciplinarum, Lin-

guæ

guæ Sinensis exercitatio, & alia in suos dies horasque suauiter distributa, tempus ita fallebāt vt nobis in pacatissimo flumine potius, quàm in vastissimo Oceano videremur nauigare.

Verum non diuturna fuit nobis hęc prosperitas, nam circa lineam febres acerrimæ tota naui grassari cœperunt, nec solum nostris laborem, sed suam quoque luem intulerunt, quæ omnes vno excepto grauiter corripuit, quinque nobis intra duodecim dies abstulit, quorum mors multa habuit scriptione non indigna. Primus fuit P. Quintinus Cousin Belga, huic successit P. Ioannes Albericus Germanus, tertius fuit P. Hubertus à S. Laurentio Belga, & consobrinus meus, quartus fuit Ioannes de Celles item Belga, quintus & in nauigatione postremus P. Paulus Cauallinus Italus. Post omnium ægritudines iam fere sopitas, ego cū fratre meo Philippo graui morbo, eodemque tempore corripimur, qui tenuit lecto affixos ad dies 50.

& me quidem ad extrema deduxit, inunctum iam & paucas vitæ horas omnium opinione numerantem. Philippus noster mitius quidem ægrotauit, sed non satis commode conualuit, ac vires recepit.

Nauigabamus interim felicissime, & sine procella vsque ad Bonæ spei promontorium, quod ipso die S. Iacobi 21. Iulij superauimus, nec post multos dies, trium noctium spatio horribili procella quassati fuimus, quę diurnis horis fere mitior cessatura videbatur. Præfectus nauis nostræ non ita multo post, ęgritudine corripitur ac moritur, cui vt alius sine tumultu subtituerctur, magno labore obtinuimus. Tandem post quinque menses & dimidiatum felicissima breuissimaque nauigatione Goam tenuimus, & die S. Francisci exscendimus, nec aliam nauim è nostris Goæ reperimus, nisi vrcarū alterā, qua excepti fuerimus charitate omitto, quia iam sæpè cantata est. Nauis S. Amari post mensem integrū appulit tandē, vno è nostris Italo desiderato dumtaxat, nā

tametsi

tametsi morbus eo tempore multos inuaserit, nostros tamen mitius tentauit; ita omnes nostri, nostręque sarcinæ omnes Goam appulerunt. Prętoria denique, post alios quindecim dies etiam Goam tenuit, sed iniusta infamiæ stigmate. cùm enim in sex Anglicas naues incidisset, maluit octoginta millib. nummorũ, quas Patacas vocãt, prælium redimere, quàm vincere vel mori. Cuius rei causa tũ Prætor ipse, tum aliquot alij, qui naui præerant, suis officiis spoliati, ad Regem remittuntur, in vinculis vel puniendi, vel facti sui rationem redditu-ri. Non ita multò post Philippus Trigautius, frater meus, vel sanguine, vel religione contracto, Goæ iterum morbo maligna febri intra paucos dies nobis eripitur, meque magno destituit auxilio. superstites sumus, Lusitani omnes; externi sex, qui accingimur ad nauigationem nostram, si nõ omnes, saltẽ ij, qui sua studia, vel omnino, vel fere confecerũt. Cæteri Goæ studia peragunt, interim dum res, & in Iaponia; & apud Sinas sint

 paca-

pacatiores, ad quas iam eadem breuitate contrahendas me accingo.

Pacata omnia cùm ab Sinis discessi, reliqueram, eandem mihi pacem fingebam animo, ac multa moliebar. Verum Deus Opt. Max. pro iudiciorum suorum arcano, tenellam hanc Ecclesiam tentari voluit sanè atrociter, sed non sine magna sui nominis gloria, & ingenti spe fructus ex hac vinea colligendi. qui autem ad Sinas iuuandos aspirant, iam Cruces & supplicia, martyriumque ipsum poterunt sibi posthac proponere, & qui suis vel precibus, vel aliis subsidiis hanc expeditionem promouendam susceperunt, iam intelligent se non malè sua collocasse, aut inposterum collocaturos. neq; enim terrendum aut desperaturum quemquam puto, qui nascentis Ecclesiæ tēpora legerit, audieritve, nec ignorabit, Deum nobiscum, non oportere suum institutum permutare. sed ad narrationem venio.

Nanquini res Christiana secundo cursu fluebat, & in cæteris nostris domici-

miciliis. Inde totius mali principium fuit tertij tribunalis aſſeſſor primarius Xin cognomine, magnus ſimulacrorum cultor, variis ex cauſis, ſed quæ ferè omnes à religione petebantur, in Chriſtianam fidem incitatus, eam toto regno exterminare aggreſſus eſt. Ad eam rem noſtros ſibi primum iudicauit impetendos. Multis itaque calumniis armatos libellos inſtruxit, & Pequinum ad Regem quã ſecretiſsimè tranſmiſit, ſed cum eos ſæpe repeteret, intra tres menſes nullum reſcriptum impetrabat, adhibet alios, multa miſcet, & largitione omnia inungit, vt facilius voluerentur. In cæteros ad ſuas partes adiungit Præſidem ſummum tertij tribunalis, ad quod tribunal ſpectat, de externis, deque religione præter alia multa cognoſcere; ab eo libellus ad regem etiam penetrat, atque calumniis inſtructus, quæ omnes ita deinde ſua ſponte corruerunt, vt etiam aduerſarij libellorum pœnitentia et pudore tacti eos

 reuo-

reuocarint, & de sola religione queri voluerint. Cum neque his Rex respondcret (quod apud Sinas idem est, ac si rescriptum negaret,) tãdem alio libello Preses Pequinensis Regi significat, se pro officij sui ratione externos illos è regno dimissurum, omnes iis exceptis, qui in Regia morabantur, & vt significauit, ita fecit, sed omnes Magistratus earum vrbium, in quibus nostri degebant, dissimularũt, præter aduersarium nostrum Nanquinensem, qui nostros, qui Nanquini degebant, duos Sacerdotes, cum vno fratre, alumnis, famulis & Neophytis aliquot, iussit comprehendi, nec tamen ante regium rescriptum ausus est nostros dimittere, sed interim in diuersis tribunalibus illos exercuit, ad nouem fere menses, omnes ad vnum, & aliqui sæpius vapulauerunt atrocissimo illo Sinensis verberationis genere; vnus & alter ob Christi fidem in vinculis obiit, vi tormentorum. Infinita sunt in hoc genere, quæ vt legantur, digna sunt, sed quia hoc est compendium, me contraho.

In

Incredibile etiam eſt, quam noſtris multi fauerint, etiam Ethnici. Chriſtiani verò Senatores ac Magiſtratus, ſed maximè Paulus, Michael, Leo mira in noſtra cauſa ſcripſerunt, fecerũt atque perfecerunt. Nec è Neophytis, vel vnus à Chriſto defecit, ſed contra quam de Sinarum puſillanimitate ſperabatur, gratia naturam ſuperãte, omnes etiam in tormentis, non ſolũ ſibi conſtiterunt, ſed etiam exultarunt. Tandem aduerſarius noſter Nanquinenſis decem milliũ aureorũ largitione per Eunuchos impetrauit, aut potius à rege extorſit, vt ad ſuos noſtri remitterẽtur, nõ tamẽ vt quod ipſe vrgebat, morte plecterentur. ergo noſtri Pequino perhonorificè dimiſſi rebus ſuis diſtractis, Cantonem venerunt. Nanquinenſes maxima infamia, vrgente aduerſario eiecti ſunt, & intra caucas, duo Cantonem vſque deportati. In cæteris domiciliis noſtri mitius habiti ſunt, & omnes intra regnum remanſerunt, præter duos Pequinenſes & totidem Nanquinenſes, Poſtmodum cæpit Deus pro nobis

bis pugnare. Nam Pequinensis Præses loco excidit, & domum inglorius remissus est. Nanquinensis ægritudine graui tenebatur, & filiam amiserat vnigenitam, extremum Sinis malum. Cuius causa Idolum quoddam cui filiam commendarat, in rabiem actus exussit. Nostri nouam sedem in prouincia Xansi adornarunt, P. Feliciani à Silua Lusitani cadauer, intra sarcophagum, iam annis quatuor Sinensi ex more domi asseruatum, ab exploratoribus armorum, domum nostram submissis, apertum est, & integrum etiam cum vestibus repertum. Cœlum subito obnubilatum, clauso feretro ad se rediit, quod Sinæ horruerunt, quod illi religioni sibi ducant, vel maximè cadauerum tumulos aperire, eius deinde corpus in agro populariter humatum, miracula patrare fertur, & à Neophytis frequētari, Ego à superioribus euocor quam citissimè, & spe ratur eorum munerum, quæ fero supra Dei auxilium, beneficio facilè omnia restituenda, non enim dee-

 rit

tit qui regi res nostras suggerat, quē sciunt importunis libellis actum, vt de nostris remittendis cogitaret, & fortasse non defuit, qui hanc esse nostrorum voluntatem persuaderet, quod occlusis viis omnibus nunquam ad regem libelli nostri penetrare potuerint.

Hæc de rebus Sinensibus, nunc ad Iaponensis Ecclesiæ statum venio. Mortuus est Daifu, post nobilissimā quam de Fideiori & Zaca victoriam reportauit, in cuius splendore filius imperium adeptus, nulla tumultus nube fœdatum. Quies fere fuerat Ecclesię per sesquiannum, sed Nangasaquij quorundam religiosorum zelo indiscreto malū recruduit. Religiosi, è quatuor ordinibus, singuli D. Augustini, D. Dominici, D. Francisci, & Societatis nostræ gloriosum pro Christo martyrium pertulerunt, alij duo in vinculis manebant.

Tota Iaponia viginti pro CHRISTI fide mortem obierunt, alij multa grauissima supplicia, exiliaque constantissimè pertulerunt, in

in quorum narratione mira sunt, quæ legantur; nec inferiora iis quæ nuper in Europa reliqui, quatuor Iaponensium triumphorum libris cōprehensa, quæ iam (vt spero) lucem aspexerunt, post duos menses exspectamus alia ab Sinis, & Iaponia, quos, si fieri poterit, antequam nauigem, latinè concinnabo, & in sequentes naues relinquam; aut itinere terrestri, si potero, destinabo.

In India solita fere sūnt omnia. In boreali eius parte & maximè Bazâini fuit atrocissima tempestas, & posteritatis memoria nō indigna. Hinc factum est, vt ad diuinam iram auertendam, tota India supplicantium pompæ explicatæ sint. Cometæ duo visi sint eodem fere tempore. alter alterum præcessit, diebus fere 14. vterq; à Scorpione egressus, prior ad meridiē, posterior ad Aquilonem cursum direxit, & adhuc apparet cū hæc scribo 20. Decemb. sed prior subobscurè, cū nobis videri cæperit 11. Nouemb. De iis plura Mathematici, quid portendant, Deus nouit.

FRA-

FRAGMENTVM EX LITTERIS EIVSD. R. P. TRIGAVTII AD amicum N. Coloniam transmissis.

MAxima iam ac periculosissima nauigationis nostræ parte defuncti, felicissimâ nauigatione, atque breuissimâ, Goanum in India portum tenuimus. E Sociis quinque abstulit in mari morbus, vnum Goæ postquam exscendimus. P. Terentius omnium primus; ego omnium postremus ad extrema deuenimus, sed Deus vtrique vitam dedit, viresque restituit.

Rei Christianæ apud Sinas & Iaponios statum didici ex litteris, quas Goæ reperi, vtrobique persecutio vrget, ad eam sedandam à sociis ac superioribus euocor cum aduectis muneribus, quæ omnia hucusque ita integra peruenerunt, ac si hodie ex Europa soluissent. De omnibus his commentarium nuper scripsi, præter eum quem de Christianis apud Iaponios triumphis in Europa soluens reliqueram, erit iustum volumen, si vtrumque coniungatur. Prior comme n

mentarius vt arbitror iam prodierit, posterior breui prodibit. Verum si placet illius argumentum & compendium videre, poterit illud ab Illustriss. ac Reuerendiss. Domino Comite à Hohenzolleren, &c. ad quem exemplar vnum destinaui, &c. Goæ 29. Decembris 1618.

Cl. V. D. seruus in Christo

Nicolaus Trigautius.

